







DISPUTATIO THEOLOGICA
Solennis
DE
PECCATORUM
CONFESSIONE POENITENTIALI CORAM DEO.

Ex Prov. 28. v. 13.
Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.

QUAM
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,
SUB PRAESIDIO
DN. IOHANNIS SCHMIDII,
SS. TH. DOCTORIS, PROFESSORIS
Senioris, Rev. Conv. Eccleſ. Præſidis, Cap. Thoman. Præpoſiti, Summi Templi Eccleſiaſtæ, & h. t. Magnifici Rectoris,
Dn. Patroni, Promotoris, Præceptoris, omni honoris & obſervantiæ cultu proſequendi,
Eruditorum Examini exponit,
M. IOHAN. HENRICUS HOENIG,
Argentinenſis.
Habebitur die Martii.

ARGENTORATI,
TYPIS FRIDERICI SPOOR.

M DC LVIII.

VIRIS

GENEROSA NOBILITATE, Rerum gerendarum prudentia, Meritorum in Rempub. amplitudine Eminentissimis.

DN. ANDREAE BRACKENHOFFERO, h.t. Consuli Reipub. Argent. Regenti.

DN. IOHANNI WENCKERO, Consuli gravissimo XIII. Viro meritissimo.

DN. DANIELI WENCKERO, Collegii XV-Viralis Assessori dignissimo.

DN. IOHANNI IACOBO ERHARDT, Collegii XV-Viralis Assessori dignissimo.

DN. DOMINICO DIETRICO, Collegii XV-Viralis Assessori dignissimo.

NEC NON

Viro admodum Reverendo, Excellentissimo & Clarissimo,

DN. M. VALENTINO SITTIG, Gymnasii Wormamatiensis Rectori, Affini suo & quondam Praeceptori venerando.

DNN. MECOENATIBUS, PATRONIS, Fautoribus, Studiorum Promotoribus,

Exercitium hoc Academicum Solenne inscribit & submisse offert,

M. IOHAN. HENRICUS HOENIG.

Σὺν Θεῷ.

DISPVTATIO SOLENNIS
DE
PECCATORVM CONFESSIONE
POENITENTIALI CORAM DEO.

Ex Prov. 28. v. 13.

Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.

§. 1.

Προοίμιον.

Spiritus S. deducit in omnem veritatem.

QVemadmodum *Spiritus Sanctus nos in omnem veritatem deducit*, Joh. 16. v. 13. quippe qui *veritatis eſt Spiritus*, non ratione communi, qua Angeli boni, qui *in veritate perſtiterunt*, veritatis dici Spiritus poſſunt, ſed immenſe ſublimiori & excellentiori, ita nimirum ut eſſentialiter ſit *ipſa veritas*, 1. Joh. 5, 6. fons omnis veritatis, maximè illius, qua vera ratio cognoſcendi veri DEI & ingrediendæ veræ ſalutis viæ oſtenditur: Ita è contrario *Spiritus impurus Satan*, id omni conatu agit, ut in mendacia & errores mortalium pectora ſeducat, quippe qui *mendacii Spiritus* eſt, 1. Reg. 22. v. 22. & *tenebrarum*, Epheſ. 6. 12. cui *proprium mendacia loqui*, Joh. 8. 44. Tametſi enim aliquando verum loquatur, quin eo ipſo quando ſe, loco modo cit; *egreſſurum, & ſpiritum mendacem in ore omnium Prophetarum Ahabi futurum* dixit, locutus ſit, habitu tamen perpetuo mendax eſt manetque, neque amore veritatis, ſed ut eâdem ad fallendum decipiendumque abutatur, interdum vera profert, unde etiam Chriſtus, cum *Sanctus DEI* à Satana vocaretur, Luc. 4. v. 34. admittere eius teſtimonium noluit, ſed ſeverè eum *increpavit*, & ut obmute-

Contra Spiritus malus ſeducit in errores & mendacia.

A

mutesceret præcepit: ad cuius exemplum etiam Apostolus Paulus, Actor. 16. v. 17. & seq. Spiritui impuro per puellam loquenti, atque ipsum Silamque servos DEI excelsi, qui salutis viam annunciarent, proclamanti, nec ipse aures præbere voluit, nec ut alii præberent, permisit. Optimè Augustinus tractat 7. in Johan. tom. 9. p. 63. ad vers. 29. cap. 1. Joh. *Immundi*, inquit, *Spiritus ut dent venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad perniciem* &c. & lib. 8. de Civ. DEI c. 24. *dæmones beneficia præstando magis nocent.* Addimus, vera docendo magis mentiuntur & nunquam periculosiores offundunt tenebras, quam cum *se in angelos lucis transformant.*

Rursus Spiritus Sanctus in eã maxime veritatem deducit, quæ summè ad salutem necessaria.

§. 2. Rursus, sicuti *Spiritus Sanctus in omnem* quidem *nos deducit veritatem*, omnia salutis consequendæ aperit consilia, singula doctrinæ cœlestis capita perspicuè sufficienterque tradit, in iis tamen, in quibus maximè gratiæ vitæq; obtinendæ cardo vertitur, explicandis uberior est & laboriosior; ita, ut non ter tantum quaterve, sed sæpissime in utroque Sacri codicis testamento, eadem, verbis vel iisdem, vel aliis, sensu semper eodem, repetat, inculcet, illustret, ut, qui animum simplicem & discendi cupidum adfert, in promptu omnia quæ scitu utilia sunt & salutaria inveniat, iisque fidem suam alere & stabilire possit. Sic *contra Spiritus malus* in eo quidem etiam occupatus est, ut *omnem veritatem* corrumpat & opprimat; cum, quantopere mendacium amat, tantopere veritatem aversetur & oderit: interim tamen eam, quæ salvificæ fidei præcipua præbet fundamenta, quæ spem de divinâ gratiâ præ aliis nutrit, quæ solido inter varias tentationes est solatio, maiori tum astu, tum furore oppugnat, ut firmioribus veluti fulcimentis periculose labefactatis & concussis, simul etiam quod reliquum est sanioris doctrinæ deiiciat, adeoque via salutis omnino eversa, miseros homines in præsentissimum animarum exitium præcipitet.

Contra Spiritus malus ab ea maximè abducit eamque oppugnat.

Præcipua veritas est, quæ continet causas æternæ Salutis.

§. 3. Talis veritas illa est, quæ causas æternæ salutis directè continet & explicat: quo pertinent articuli de DEO triuno, qui Salutis author, conservator, consummator est, eiusque essentia & voluntate, de persona & officio Christi, qui salutem olim amissam toti generi humano, quantum in se, instauravit & reparavit; de verbo & Sacramentis quæ DEUS offerendæ applicandæque salutis

nostræ.

nostræ media esse voluit; de fide, quâ oblatæ in verbo & sacramentis promissiones salutis apprehenduntur: de justificatione &c. In quorum omnium veritatem, quemadmodum Spiritus Sanctus Ecclesiam suam ab ipsa eius origine certis gradibus deduxit, in eademque magis magisque confirmavit, hodieque conservat: Sic spiritus mendax nunquam non operam strenuè dedit, ut ab eadem humanas mentes abduceret, & in erronearum falsarumq; opinionum amplexum pertraheret. Singulos enim articulos modo commemoratos ordine si consideremus, variis eosdem modis, omnibus seculis, corruptos fuisse & depravatos deprehendimus, & hoc quidem magis quo clarius maiorique perspicuitate revelati in Scripturis sacris & traditi fuerunt: quà de re, qui & olim, & nuper editi sunt Catalogi Hæreticorum eorumque monstrosi & blasphemi errores testantur, quibus, maxime tempore Novi Testamenti, quo longe ampliori luce, quam olim in Vet. Testamento Ecclesia, per omnia ferè doctrinæ capita collustrata fuit, divinam veritatem oppugnarunt, & huncusque in diem oppugnare non desistunt.

Quo etiā pertinet articulus de pœnitentia.

§. 4. Atque id ipsum etiam gravissimo articulo de salutari pœnitentia accidit. Est *pœnitentia*, veterum judicio, *salutis principium; sicuti Christus eiusdem fundamentum.* Est omnibus necessaria, quibus *ne pereant* cordi est, Luc. 13, 3. & 5. siquidem per eam solam in peccata prolapsis & à DEO aversis ad eundem eiusdemq; gratiam patet reditus, Es. 45, 22. unde Spiritus S. non tantum omnes homines ad pœnitentiam serio invitat, & suum *convertimini*, Ezech. 18, 30. cap. 33, 11. suum *pœnitentiam agite*, Matth. 3, 2. c. 4, 17. Actor. 2. 38. Apoc. 2, 5. ingeminat, sed etiam doctrinam de pœnitentia, eiusque naturâ, partibus, requisitis, omnibusque circumstantiis diligentissime exponit, ut, qualiter pœnitentiæ exercitia homo peccator aggredi, & in iis ad salutem versari debeat, plenissime intelligat. At quid è contrario Spiritus mendax? Avocat, quantum in se à pœnitentia ad carnalem securitatem, invitat ad mundanas delitias & voluptates, salutares exhortationes contemnere & ridere docet, pectora indurat, ingenerat contumaciam &c. Neque hoc solum, sed & sanam de pœnitentia doctrinam sacrarum scripturarum monumentis comprehensam in perversos & erroneos trahit sensus, humanis traditionibus & su-

Qui cum perspicuè ac sufficiēter sacris literis cōtineatur.

Variis tamen rationibus corrumpitur.

perstitionibus, si non plane corrumpit, saltem contaminat, ut occiso & erepto germano articuli sensu ad necessariam eius praxin & religiosa exercitia via vel planè intercludatur, vel certè difficilis & aspera reddatur.

In genere totus.

§. 5. Ostensum hoc aliquo modo præcedentibus duabus disputationibus, quibus partim *in genere de pœnitentia* eiusque nomine, causis, forma, finibus, effectis, subiecto &c. partim *in specie de priori eius parte, contritione* eiusque natura, affectionibus qualitatibus, requisitis &c. egimus. Quid de singulis credendum, quæque vera sint, perspicuè Spiritus Sanctus & abundanter docet, sed nihil ferè eorum hactenus fuit, quod non hostis veritatis vehementer, præcipuè in Papatu, oppugnarit. Ipsum *pœnitentiæ nomen* non satis tutum fuit, ex quo Papatus pœnas ultro assumtas ad satisfactionem adstruere conatus est: qui & *naturam pœnitentiæ*, quantum in se, destruxit, dum eam *in sacramentum* convertit, præterea causis eandem operantibus *voluntatem humanam* annumeravit, ac variè circa alia etiam causarum genera, circa constitutionem & enumerationem partium, circa operationes & effectus erravit, qua de re disp. generali de pœnitentia actum. Eodem modo doctrina de priori pœnitentiæ parte, quæ *Contritio* est, longè aliter, quam à Spiritu S. sacris descripta literis reperitur, in Papatu tradita est. Cum enim *contritio* sit serius per legem in corde peccatoris excitatus *dolor*, quo cor confringitur & conteritur, adeoque *dura passio*, introducta tamen & recepta est sententia, esse eam *liberam actionem* sive *actum libere ab homine peccatore assumtum*: cum ideo ab homine pœnitente requiratur, ut agnitâ miseriâ suâ, ad misericordiam DEI propter Christum promissam vera fide confugiat, in eaque sola asylum salutis suæ constitutum credat, in *meritum* tamen conversa est, & dicta *causa remissionis peccatorum & iustificationis*, quæ & aliæ id genus sanioris doctrinæ corruptelæ, præcedente disputatione breviter sunt confutatæ.

speciatim respectu singulariũ partium quarum prior est Contritio.

Ad quam peccatorũ confessio pertinet.

§. 6. Cæterum, quemadmodum ipsa contritionis pœnitentialis οὐσία & natura heterodoxis opinionibus in Papatu corrupta est, ita etiam quæ ipsi *cognata* sunt pleraque omnia, cumprimis tamen *peccatorum confessio*, qua homo post vitæ suæ & actionum diligentem ad normam legis moralis explorationem, se divina mandata infinitis modis violasse, agnoscens, & inde serio dolens,

libere

libere ingenueque vel tantum coram DEO, vel etiam simul coram Ecclesiæ ministro se peccasse fatetur, & absolutionem à peccatis humiliter petit. Hæc confessio, vix dici potest, quot & quantis inquinata superstitionibus, quibus errorum sit involuta tenebris. Sane illam si spectemus, *quæ divinitus mandata est*, & qua vel quivis seorsim ac secreto, ex corde contrito & humiliato peccata sua quotidianis precibus & pœnitentiæ exercitiis, DEO ad exemplum Davidis & aliorum confitetur, vel totus aliquis cœtus publicis congressibus ad certam formulam ab Ecclesiæ ministro prælectam se peccatis obnoxium esse agnoscit, & divinam misericordiam implorat, pauciores de ea tum olim motas esse, tum hodie moveri controversias & quæstiones, constat. Verùm quod alteram attinet, quæ divinum mandatum non habens, coram Ecclesiæ ministro privatim peragitur, ferè innumera de eadem superioribus seculis excitata fuerunt certamina, ac magis semper magisque in hunc usque diem aucta, quo de magna in publicum edita volumina testantur, in quibus *de confessionis necessitate, sitne divini an Ecclesiastici juris, quos & quando eius praceptum obliget* &c. de *qualitate, integritate, ac variis eius conditionibus & circumstantiis, de ministro, qui potestatem absolvendi habeat, & quæ in eo scientia requiratur, de sigillo, de reservatione casuum* &c. ita disputatur, ut pleraque omnia salutarem confessionem à DEO præceptam, & in verè pœnitentium exemplis ob oculos positam, multiplici superstitione & errore ferè penitus obruant.

Circa quã plurimi foventur errores.

§. 7. Quapropter, ut toti articulo fidei, de salutifera pœnitentia sua constet & servetur sinceritas, omnino opus est, ut non tantum, quid de partibus eius, quibus immediate constituitur, sed etiam de iis quæ affinia & connexa sunt, ex verbo DEI sentiendum sit, ostendatur: quò cùm præcipue *Peccatorum confessio*, uti diximus, referatur, (quippe quæ non quidem est ipsa contritio neque eam constituit, perpetuo tamen, sicuti etiam interiores gemitus & suspiria, ploratus, peccati detestatio, humiliatio, comitatur: fieri enim nequit quin, qui ex peccatorum agnitione verè contritus est, eadem confiteatur) sanè debitum adhibendum est studium ut manifestum evadat, quæ mandato divino nitatur confessio, adeoque omnibus pœnitentibus sit necessaria, quæ ab Ecclesia orthodoxa, bono consilio ac libere introducta, non qui-

dem simpliciter omnes obligans, utilis tamen sit & pro loci, temporis, aliarumque circumstantiarum ratione amplectenda & retinenda, quæ denique per superstitiosam tyrannidem imposita & extorta, non modo usum nullum ad conscientias vel rite informandas, vel ex pavore & metu erigendas habens, sed etiam mentibus jam ante perterrefactis, & sub mole peccatorum gementibus, novumatque intolerabile onus imponens, ac omnem ferè spem consequendæ gratiæ & remissionis eripiens.

Quibus obviam eundum.

Applicatio.

§. 8. Animus itaque est impræsentiarum huius materiæ *de peccatorum Confessione*, quæ ad interiorem contritionem cordis sequitur, brevem instituere διασάφησιν adeoque, quod præc. disp. sub finem §.40. in nos recepimus, opere ipso exequi, fidemque liberare, quod tamen priusquam ex methodi regulis faciamus, placet pro consuetudine nostra, non usu omni, uti arbitramur, destituta, dicti in fronte adscripti, quod citra controversiam argumento tractando sedem præbet accuratiorem explicationem præmittere.

Textus.

§. 9. Ita autem verba in textu authentico habent: מכסה פשעיו לא יצליח ומודה ועזב ירחם: In Chaldaico: דמכסה חובו לא נצלח ודמודה חטוי ושבק נרחם עלוי אלהא *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, & qui confeßus fuerit peccata sua & reliquerit miserebitur eius* D E V S: Juxta Septuaginta: ὁ ἐπικαλύπτων ἀσέβειαν αὐτοῦ οὐκ εὐοδωθήσεται, ὁ δὲ ἐξηγούμενος καὶ ἐλέγχων, ἀγαπηθήσεται: *Qui abscondit impietatem suam non prosperabitur, qui autem narrat & redarguit, diligetur.* Juxta Vulgatum: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*: Juxta Tremellium & Junium: *Qui tegit defectiones suas non prosperabitur, qui vero fatetur & derelinquit afficietur misericordia*: Juxta Lutherum germanicè. Wer seine Missethat leugnet / dem wird nicht gelingen / wer sie aber bekennet vnd läßt / der wird Barmhertzigkeit erlangen. Juxta Piscatorem: Wer seine Vbertrettungen verdeckt / dem wird nicht gelingen &c. Juxta Dietenbergium: Wer seine Missethat verbirgt / &c.

Sicut in toto proverbiorũ

§. 10. Quemadmodum toto Proverbiorum Salomoneorum libro variæ miscentur materiæ, ut, aut nunquam aut raro cõnexionis sententiarum rationes ostendi queant, quanquam sint,

qui

qui eas exponere conentur: ubi tamen res ipsa docet, illas potius inferri, quam inveniri: ita etiam *caput vigesimum octavum* singulis ferè sententiis aliud atque à præcedente diversum continet argumentum. Orditur Salomon v. 1. à contrario justorum & injusto rum statu, quod hi ex conscientiæ accusatione timidi sint, illi vero animo præsenti & quieto, mox v. 2. agit de periculosis Rerumpublicarum mutationibus, ex hominum prævaricatione natis, ut & contra de earum prosperitate ac perpetuitate si pii & prudentes Viri iis præsint: v. 3. describit sævitiam pauperum in alios pauperes, v. 4. impios non laudandos sed coercendos & reprimendos, v. 5. pravos, stupidos & cæcos, probos verò sapientes, v. 6. pauperem in integritate ambulantem perverso diviti præferendum, v. 7. liberorum vitam honestâ parentibus decori, turpem vero dedecori & ignominiæ, v. 8. infelicem opum magnarum per illegitimam cumulationem eventum, v. 9. orationem eorum, qui verbum divinum obediendi studio audire nolunt, non tantum DEO non gratam sed & abominabilem, v. 10. malum quod improbi innocentibus parant, in ipsorum recidere caput: hos vero immunes servari, v. 11. divitem se sapientem fingere, cum non sit, idque pauperem, penes quem vera sapientia est, probè intelligere, v. 12. Florere & felicem esse Rempubl. ad quam moderandam viri justi & integri, infelicem si improbi, evehantur, docet. Jam sicut hi præcedentes duodecim versus suas sibi proprias habent materias, ita etiam *decimus tertius*, qui hic noster est. De peccatorum enim tum occultatione sive negatione, tum detectione sive confessione tractat, ac illi quidem pœnam gravissimarum calamitatum minatur, huic vero misericordiam & remissionem pollicetur.

Libro nullus certus ordo sententiarum attenditur.

Sic nec in cap. 28. quippe in quo singuli versiculi sua habent sibi propria argumenta.

Adeoque etiam hic ipse: Cuius duo sunt membra. In priori consideranda.

§. 11. Vnde duo esse huius versiculi, ut ferè aliarum sententiarum in proverbiis Salomoneis omnium, membra per se clarum est, in quorum priori consideranda veniunt. 1. *Peccatorum absconsio & negatio.* 2. *Absconsionis infelix eventus.* Peccata hic intelligimus quæ sunt cuivis peccanti propria. Non tegenda quidem sunt etiam quæ ab aliis comittuntur, maxime atrociora & cum graviori periculo conjuncta peccata, sed debito modo in lucem producenda, ut severè coerceantur & maturè reprimantur, confer Levit. 5, 1. & Prov. 29, 24. Lex fuit in Vet. Test. gravissima

1. Absconsio sive negatio peccatorum.

Deut.

Deut. 13, 6. & seqq. qua, si quis occultis artibus falsos & idololatricos cultus contra veram religionem introducere ausus fuisset, eius impios conatus etiam sanguine junctissimi, parentes & fratres sine mora detegere, & rem ad Magistrum deferre, obstricti fuerunt, ut justa lapidationis pœna afficeretur. Ex officio & laudabiliter olim fecit Josephus, quando improborum fratrum suorum malitiam & scelera patri Jacobo detexit, Gen. 37. v. 2. Laudabiliter Chusai, Zadok & Abiathar, qui scelestas machinationes Absolonis & Achitophelis Davidi aperiendas curarunt, 2. Sam. 17. v. 15. & seqq. Laudabiliter Jonathan, qui de parentis sui Saulis crudelibus consiliis Davidem fecit certiorem: 1. Sam. 20, 12. & seqq. Laudabiliter nepos Apostoli Pauli, qui scelus coniurationis Judæorum mature, tum ad ipsum Apostolum, tum ad militum tribunum detulit, Actor. 23. v. 16. Sic hodieque laude

Non alienorum de quibus alibi.

digni sunt, qui ex sincero studio vindicandæ gloriæ divinæ, conservandæ & à periculis liberandæ Reipub. tuendorum proximi vitæ, famæ, fortunarum, atque ex aliis honestis rationibus improborum scelera, quę tacitè machinantur, detegunt: usque adeo ut, si ea occulta haberent, graviter & in DEUM impii, & in Rempub. ac proximum perfidi futuri essent. Vnde etiam in Rebuspubl. benè constitutis, certis legibus incolæ & cives vel promiscuè omnes, vel certi aliqui obligati sunt, ut, si quos sciant horrendarum in DEUM blasphemiarum, seditiosorum consiliorum, proditionis, patratorum homicidiorum, aliorumque scelerum, quibus gloria DEI violatur & tranquillitas civilis turbatur, reos, eorum nomina ac nefanda facinora Magistratui exponant, quas si transgrederentur & scelera tegerent, nec virorum nec civium bonorum nomen mererentur.

Sed propriorum. Nomen פשע alias Specialioris usus.

§. 12. Sed hæc, quæ ab aliis comittuntur peccata, Salomonem hic non intelligere, ex verbis ipsis clarum est. Diserte enim inquit: *qui abscondit scelera sua*: & in altero versiculi membro: *qui reliquerit ea*: relinquit autem homo in conversione non aliena sed propria peccata. In hebræo vox פשע extat, cuius quidem usus plerumque *specialior* est, & defectionem notat sive *rebellionem* cum quis scienter & contumaciter בזדון peccat, unde vulgatus per vocabulum *sceleris* reddidit, sed tamen non raro *generaliter, quamcunque legis transgressionem, cuiuscunque pacti vel prace-*

præcepti violationem significat, confer Psalm. 32, 1. *Beatus cui remissa iniquitas* פֶּשַׁע v. 5. *Confitebor iniustitiam meam*, Psal. 39, 9. *ex omnibus iniquitatibus meis erue me*, adde & 51, 5. & 65, 4. ubi hoc nomine, *peccata omnia* originalia & actualia comprehendi, res ipsa testis est: Non enim pœnitentia tantum graviora peccata, sed omnia, quibus homo pœnitens contaminatus est, & quæ patravit, obiectum habet. Vnde Græci Interpretes diversimode reddiderunt, interdum per generalissimum vocabulum ἀνομίαν, Psal. 51, 5. alias per παράβασιν, Hos. 8, 1. per ἁμαρτίαν, Prov. 28, 2. per ἀδίκημα, Gen. 31, 6. hoc nostro textu per ἀσέβειαν. Confer quæ super. disput. §. 13. notata sunt.

§. 13. Hunc posteriorem nominis פֶּשַׁע sensum hic quin amplectamur, nihil obstat. Tametsi enim Rex Sapientissimus fortè videri possit, ab ea tantū dehortari peccatorum, ut sic dicamus *tectione*, quâ quis in humana vita à superioribus, quibus ad reverentiam & obedientiam obstrictus est, gravioris peccati à se commissi monitus, malitiosè contra conscientiam tergiversatur, celat, negat: quod ab auditoribus coram Ecclesiæ Pastoribus, à subditis coram Magistratu, à discipulis coram Præceptoribus, à liberis coram parentibus, à servis coram Dominis crebro fieri experientia docet: quia tamen & in priori & in posteriori sententiæ membro generaliter loquitur, rectissimè, sicuti *tectio* de quacunque negatione & celatione peccati patrati, sic פֶּשַׁע de quovis peccato, sive leviori, sive graviori, accipitur: ita ut nequaquam hoc loco quotidianæ infirmitates & lapsus, qui vel secretioribus cogitationibus & affectibus, vel externis gestibus, verbis, operibus fiunt & committuntur, imo nec ipsum originale peccatum & connatum omnibus vitium excludantur. Licet enim hoc posterius valde sit *occultum*, Psalm. 90, 8. nemoque hominum in abyssum malitiæ eius penetrare, aut perfectam per omnes partes cognitionem consequi in hac vita possit, necesse tamen est, ut quivis pœnitens, quanto potest opere, è diligenti sacrarum literarum, quibus peccati huius fœditas describitur, meditatione, ad eius notitiam contendat, & ubi eam aliquo modo acquisivit, in quotidianis pœnitentiæ exercitiis, ingenuâ coram DEO confessione, ingens malum deploret.

Hic generaliter accipiendū.

De omnibus peccatis.

Verbum כסה rerum corporearum proprium. Hoc loco impropriè usurpatur.

§. 14. Ergo ne ullum quis peccatum sive in fide, sive in vita admissum, cuius secum conscientiam habet, cum fateri legitime jubetur, tegat aut neget, Rex Salomon monet. Participium מכסה à כסה est, verbo generalissimo, quod de rebus quæ quocunque modo operiuntur, teguntur, occultantur, usurpatum in Scripturis reperitur. *Proprie* quidem de corporeis, cum, quæ occulta esse volumus, & à conspectu prohibita, iis operimenta iniicimus, Genes.9,23. Judic 4,18. Num.9,15. Psalm.105,39. *Impropriè* de quibuscunque aliis quæ absconduntur & occultantur. Sic Prov.12.v.23. *Scientiam tegere* dicitur, qui non est ostentator, non ampullas proiicit, non doctrinam suam & eruditionem jactat, sed moderate de se sentit, & rerum peritiam dissimulat: *Ignominiam tegere*, qui latratus calumniatorum æquo animo ferre didicit, nec facilè ad indignationem permovetur, cap. cit. v. 16. exemplo Davidis, 2. Sam. 16. v. 10. DEUS *peccata tegere* dicitur, Psalm.32. v.1. Rom.4,7. quando ea clementer remittit & condonat, non punit, cum puniendi haberet causas: ad quæ verba Augustinus: *Si texit peccata DEVS, noluit advertere, si noluit advertere, noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere maluit ignoscere.* Homines aliorum *peccata tegunt*, eorumque multitudinem cum non promulgant proximi lapsus, sed, quantum licet, ex Christiana charitate, dissimulant, Prov.10,12. 1.Pet.4,8. Aliquando *tegere* respondet verbis, *tueri, protegere*, Esai. 51, 16. *Indidi verba mea ori tuo, & & umbra manus mea tego te.* Quæ hic loci sit verbi huius significatio, sive quid sit *tegere* jam dictum est, scil. peccatum in quod quis prolapsus est, cuius ab ipsa conscientia accusatur, arguitur ab iis, quibus vi mandati divini rotundè pleneque aperire & fateri obstrictus est, vel simpliciter negare, vel aliqua ex parte modoq; certis in circumstantiis factum inficiari.

Variæ rationes, quibus homines peccata sua tegere solēt.

1. Simplex inficiatio.

§. 15. Variæ enim sunt artes & rationes, quibus peccata sua homines tegere solent. *Est simplex inficiatio*, cum, quod quis impie & inhonestè patravit, à se commissum prorsus negat: quæ impudentia quam sit frequens, per omnes vitæ status experientia plus nimis testatur. Negat & pernegat, dum non multis argumentis convincitur, aut ἐπ' αὐτόπτῳ καὶ ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenditur homicida, latro, adulter, fur, criminis se reum esse, ad exemplum Gehasi, 2. Reg.5. v.25. *Est conficta excusatio*, quali Saul ad grande scelus

scelus suum palliandum usus est, qui, cum ad severum DEI mandatum *Amalekitas* radicitus à *viro usque ad mulierem, à parvulo usque ad lactentem, à bove usque ad pecudem, à camelo usque ad asinum extirpare, Regi tamen Agag & optimæ parti ovium, & bobus & pinguibus & saginatis pepercisset*, 1. Sam. 15, 3. & 9. adeoque DEO inobediens atque rebellis factus fuisset, à Samuele graviter obiurgatus, ad frigidas & frivolas confugit excusationes, quibus ingens scelus tegere ausus est: confer 1. Sam. 15, 15. & seqq. *Est translatio culpæ in alios*, in qua primi peccatores præsidium pessimæ causæ se inventuros putarunt: Adam enim *a muliere Eva seductum* se inquit, quo ipsum DEUM tacite accusat, à quo mulierem habeat, quam si non accepisset, legem divinam nunquam violasset. *Eva à serpente se deceptam*, ait, atque ipsa etiam, uti Adam, aliquo modo in DEUM culpam reiicit, quod serpentem quem seducturum fore prævidit, nihilominus creaverit, Genes. 3, 12. & seqq. confer Luth. comment. pag. 40. & seqq. Eodem modo peccata sua texerunt Judæi, Ezech. 18, 2. nec non alii omnibus seculis plures in hunc usque diem: quo de vide Massiliens. Episcopum Salvianum lib. 4. contra avaritiam egregie disserentem, pag. 147. *Est criminis extenuatio*, qua quæ sunt atrocissima, ex nonnullis circumstantiis personarum, locorum, temporum &c. ut leviora videantur permulti efficere, adeoque horrenda peccata in exigua convertere peccatilla, laborant: unde impiæ sceleratorum voces. *Res non tanti est, ita fert natura & temperamenti mei, quod ex memetipso non habeo, ratio, alius in aliud, ego in hoc vitium rapior; vivo iis locis quæ aliam vivendi rationem non permittunt. Vitæ habeo socios, ad quorum mores, meos ut componam mores, necesse est*: &c. Iterum, inquam, impiæ voces! quas non tantum sacræ execrantur literæ, sed etiam saniores Ethnici damnarunt. Egregiè Plutarchus eo libello, quo *quomodo quis suos in virtute paranda profectus sentire possit*, docet. *In virtute*, inquit, *rectè proficiens nullum jam peccatum exiguum putat, sed omnia studiose vitat atque observat.* Est *prætextus inveteratæ consuetudinis*, cuius vis omnino maxima: Frequentia enim si fiant & consuetudinaria scelera, nec severè puniantur, jam paulatim vilescunt, & non pro gravibus amplius, imò ne quidem pro peccatis habentur: quo de Augustinus Enchirid. c. 79. sub finem: *Peccata quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva esse*

2. Conficta excusatio.

3. Culpæ translatio.

4. Criminis extenuatio.

5. Inveteratæ consuetudinis prætextus.

aut nulla creduntur, usque adeo ut jam non occultanda, verum etiam prædicanda videantur, &c. In Republ. si gula, luxuria, ebrietas, scortationes, adulteria, flagitia alia, à quibus aliàs honestatis dehortatur sensus, impune aliquandiu grassentur, tandem lusus fiunt, confer Jes. 3, 9. Jer. 13, 23. Sunt *denique exempla* eorum præcipuè qui authoritate præ aliis pollent. Hi enim si impiè flagitioseque vivant, aliis, quos corrumpunt, excusandorum scelerum præbent occasionem, ut (quæ verba sunt Ambrosii libr. ad virgin. lapsf. cap. 9.) *sibi blandiantur & dicant. Non solus hoc egi, multos habeo socios*, &c. Non primus sum, nec postremus ero: Idem quod jam à me, ab aliis pridem factum, & ab iis quidem, qui officiorum amplitudine & status dignitate longè me superiores sunt, &c.

6. Exempla.

Infelix absconsionis sive negationis Eventus.

§. 16. His aliisque rationibus abscondere & tegere peccata sua homines securi solent, sed eventu valde infelici, quem duobus verbis Salomon expressit לֹא יַצְלִיחַ: quorum sensum haud satis assecutus est vulgatus, dum reddidit, *non dirigetur*: melius alii *non prosperabitur*: optimè Lutherus: dem wird nicht gelingen. Verbum צלח primo & propriè significat latinis *perrumpere, pervadere, scindere, traiicere*, vide Lexic. Schindl. Deinde *feliciter ire, prosperum esse, fausto rerum frui successu*, &c. ut æquipolleat græcis εὐοδοῦν, εὐοδοῦσθαι. In coniugatione hiphil, cuius futurum hoc nostrum est, ut ex exemplis patet, sæpius pro natura transitivè, aliquando tamen etiam intransitivè usurpatur. Exempla vide diversa in Lexic. Pagnin. Hic parum interesse videtur, quo quis modo accipere velit, sive *passivè, prosperatus fuit*, quæ translatio pluribus, *sive activè, secundavit, fortunavit aut feliciter peregit*, quæ nonnullis placet, qui tamen semper aliquid subintelligunt, ex. gr. דרך *viam*: hoc loco מכסה *tectionem*, ut ita sensus sit: *vel non prosper futurus est, tegens peccata*, vel *non fortunabit suam tectionem*. Cæterum habet iste loquendi modus aliquam in se μείωσιν, qua minus dicitur quam significatur. Siquidem Salomon non tantum iis, qui negant & tegunt peccata sua, minatur felicis successus privationem, sed simul & maximè quidem, gravissimarum calamitatum pœnarumq; immissionem. Hic enim genius est Hebrææ linguæ, ut sæpè *verba negantia, pro contrariis valdè vehementerq; affirmantibus ponat*. Tale illud 1. Sam. 12. v. 21. ubi Propheta

Verbi צלח significatio.

In phrasi μείωσις est qua minus dicitur quam significatur.

pheta, ne Iſraelitæ DEUM verum deſerant, & ad idola deflectant, ſerio monens, rationem addit: לא יועילו itemque לא יצילו *non proſunt, neque eripiunt*; Sensus propriè eſt: graviſſima nobis mala accerſent, & in extremam coniicient miſeriam: itemque illud Prov. 17, 21. Pater ſtulti, לא ישמח *non lætabitur*, id eſt, perpetuo graviſſime dolebit. Druſius ita: *Nemo quisquam unquam ita dolet, quin idem aliquando gaudeat: ſed enim qui in omni momento dolet, is dicitur non gaudere, ſummus enim dolor ſemper lætitiâ vacat.* Quo etiam referendum illud apud Proph. Eſ. cap. 42, 3. (quod ab Evangeliſta Matthæo repetitum legitur, c. 12, 20.) לא ישבור לא יכבנה *non extinguet linum fumigans: non franget arundinem quaſſatam.* Vis enim conſolationis efficaciſſima eſt: *corroborabit gratia ſua, firmabit & confortabit, eriget & ſolidabit* &c. Digna ſunt quæ adſcribantur Beati Lutheri ad hoc vaticinium verba, tom. 4. Jen. latin. p. 327. *b. Pulcherrima pictura Chriſti ſuaviſſimis exornatur figuris ſcil. in conſolationem pleniſſimam. Ineſt enim figura ſcil. tapinoſis, quia minus dicit quam ſignificat, ut, non extinguet non confringet idem ſit, quod maximè accendet & conſolidabit. Et eſt illa figura valdè dulcis & potens in loco dicto ad conſolandum: Vt puſillanimis aliquis ſit, & metuat accedere Sacramentum propter reverentiam &c. perſuadeat aliquis hac figura: cur metuis? Accede; non enim Chriſtus venenum tibi dabit: item,* Er ſtehet ja nicht mit der Keule hinter dir. *item:* Er wird dich nicht freſſen. *Valdè erigunt iſtæ negativæ, quia excludunt hoc quod metuitur malum potentiſſimè, & ſimul includunt affirmativè, quod petitur bonum opulentiſſimè* &c.

§. 17. Ergo quicunque peccata quæ fateri debebat, ſciens volensque tegit & negat, hac ſua malitia & mandati divini violatione, *jacturam juſto DEI judicio facit bonorum omnium*, quibus hactenus cœleſti gratia gaviſus eſt: id eſt, omnium ademtionem & ablationem meretur. Non quidem ſemper eo ſtatim momento, quo tale peccatum ab impiis committitur, ſua DEUS ipſo opere excercet judicia, ſed, quæ ſumma ipſius eſt μακροθυμία, eos aliquandiu tolerat, imo & certis beneficiis pergit ornare, ut priſtina fruantur dignitate, floreant opibus, commodè vivant, ſucceſſus rerum habeant exoptatos: interim *alia & contraria merentur*: quæ, niſi bonitate & patientia divina ad ſeriam pœnitentiam ac peccati agnitionem confeſſionemque ſeſe permoveri patiantur, tandem

Non proſperari cõprehendit.

Bonorum omnium jacturam.

tandem DEUS re ipsa infert, & hoc quidem severius, quo diutius beneficiis, quibus indigni fuerunt, sunt abusi, ita ut vel omnia simul bona auferat, vel successivè modo hoc, modo aliud, donec omnino omnibus exuantur, nec ullam eorum recuperandorum spem reliquam videant. Hanc bonorum jacturam illico comitatur, *variorum malorum* cumulatio, *malorum*, inquam, *conscientiæ*, quæ negantem peccata, arguit, convincit, damnat, mordet, & flagellat: quo enim pertinacius homo impius se non peccasse clamat, hoc vehementius interior reclamat testis, & plena quodammodo voce, mentiris, ait, scelerate, te innocentem esse, en facinus à te patratum, en facinoris circumstantias, locum, tempus, socios, iterationem &c. *Malorum famæ & dignitatis.* Est DEUS qui ad tectionem & negationem scelerum interdum aliquandiu connivet, ut in foro & judicio humano absolvantur & pronuncientur justi, qui sunt iniquissimi, at suo tempore, miris modis & præter expectationem flagitia occultè patrata in lucem producit, ac omnium exponit oculis, unde tanto maior infamia in illos & ignominia redundat, quo se ab ea longius abesse pridem fuerunt persuasi. *Malorum circa fortunas & facultates*: Illegitimis rationibus non pauci interdum corradunt divitias, bona rapiunt aliena, ut reddant, moniti, negant, ulli hominum à se illatam iniuriam, quæ acquisiverunt bono titulo se possidere &c. Sed qui nefarios huiusmodi raptores odit justissimus in cœlis judex, malè partas opes, quando ipsi videtur, *ex ventre eorum extrahit, & facit ut divitias quas devorarunt, evomere cogantur*, Job. 20, 15.: imò non illas tantum, sed una etiam reliquas quas honestiori modo collegerunt. *Malorum in Obitu*: Non enim potest non esse infelix excessus hominis, qui non prius conscientiam seria confessione peccatorum exoneravit. *Malorum post obitum*: Existimant homines scelerati, si tecta sint, quæ vivi nefariè committunt, fore etiam, ut post mortem occulta perpetuò maneant, sed non raro contrarium accidit, ac in promptu sunt exempla eorum, quorum facinora, quæ se patrasse, vivi negarunt, post obitum, patefacta, & cum extremo illorum dedecore undique divulgata fuerunt. *Malorum in posteris.* Quam maiores virtutis studio & rebus præclarè gestis nominis famam & laudes pepererunt, earum quibusdam radiis quoque posteri collustrantur: sic ex parentum sceleribus in lucem protra-

Infinitorũ malorum cumulationem.

protractis grandis adspergitur liberis macula: quæ singula latius persequi huius loci non est.

§. 18. Jam, quemadmodum, qui variis artibus scelera & peccata sua tegunt, omnium bonorum faciunt jacturam & infinita sibi mala accersunt: sic è contrario, qui ea *fatentur & relinquunt, misericordiam consequuntur*: ubi tria ponderanda, 1. *Peccatorum Confeßio.* 2. *Eorundem relictio sive evitatio.* 3. *Felix eventus.* Primum continetur voce מודה participio (græci habent ἐξηγούμενος, quod specialius est, nec hebræo per omnia respondet) ab חודה cuius radix ידה usu & significatione latè patet. *Propriè* idem est, quod latinum *jacere, proiicere, eiaculari*, Jerem. 50, v. 14. Thren. 3, 18. Zach. 1, 20. *Impropriè & Metaphoricè, vocem liberè emittere, DEUM ob accepta beneficia laudibus celebrare, eiq; gratias agere, vel etiam commissa contra DEUM eiusq; legem peccata confiteri, eorumq; remißionem petere*, quæ posterior significatio huius loci est: ubi notandum, quod, quemadmodum in prioris membri verbo מכסה *tacita latet dehortatio*, qua Salomon monet, ne quis peccata sua, quorum secum habet conscientiam, contra conscientiam tegat, negetque, sic huius posterioris מודה *tacita contineatur exhortatio*, ut transgressor legis divinæ peccata sua ingenuè fateatur, iisque conscientiam ad consequendam tranquillitam exonerat.

Posterius membrũ: in quo 1. Peccatorũ Confessio.

§. 19. Cæterum, cum peccatorum Confessio varia sit & multiplex, quam hoc loco Salomon præcipuè intelligat, videndum. De Sacramentali, quam sic vocant, confessione Veteres Pontificii haud pauci eum loqui statuunt. Hugo de Sancto Charo sensum verborum totius versiculi 13. talem tradit, part. 3. postill. super Proverb. p. 54. fac. 2. *Qui abscondit scelera sua confessori suo, non dirigetur ad Dominum, quia peccata avertunt à DEO, qui autem confessus fuerit ei qui potest eum absolvere, verè, purè, integrè, spontanee, & reliquerit ea voluntate & opere, misericordiam consequetur* &c. Eeodem modo Dionys. Caietanus, Jansenius & alii. Ex recentioribus nonnulli, qui huic sententiæ patrocinari conantur, cum negare nequeant, *tempore Salomonis auricularem & Sacramentalem confeßionẽ nondum fuisse institutam*, aiunt: *Salomonem his verbis Prophetam agere, & de confeßione Sacramẽtali, futuris temporibus à Christo instituenda, vaticinari* &c. Dissentiunt tamen pleriq; alii. Corn.

De qua Confessione hic agatur.

à Lap.

Non de auriculari Pontificia.

à Lap. ingenuè, *aliqui*, inquit, *censent Salomonem exigere auricularem & Sacramentalem confeßionem, quæ in lege nova fit confessario ad recipiendam peccatorum absolutionem in Sacramento pœnitentiæ: verum hæc tempore Salomonis nondum erat instituta: nam post mille annos sancita est à Christo. Dico itaque eum loqui de confeßione, quæ est Juris naturæ eaq; duplici* &c. Ita Salazar secutus Gregor. Magn. *Non de illa*, ait, *confeßione per quam scelera apud Sacerdotem deponuntur hæc verba accipienda, sed de illa qua quis reprehensus obiurgatusq; admissas culpas non diffitetur, sed quam primum aperit, ac revelat superiori.* Similiter Estius in annotat. aureis p. 419. *Non pertinet hæc sententia propriè ad confeßionem sacramentalem, ea enim tum nondum erat instituta.* Subiicit tamen: *Rectè usurpatur ad excitandos homines, ut sacerdoti confiteantur, præsupposito eo, quia sacerdoti data est potestas remittendi & retinendi peccata. Si enim secundum dictum sapientis omnis qui confessus fuerit & reliquerit peccata, misericordiam consequetur, multo magis is qui confitetur sacerdoti DEI vicario.* Amplectimur in hisce rem ipsam, nequaquam scil. hic (quanquam nec uspiam alibi) fundamentum contineri auricularis & sacramentalis confessionis, non tantum ob allatam ab ipsis Pontificiis rationem, sed ob plures alias, quas copiosius huc adducere supervacuum æstimamus.

Sed de ea quæ tempore Salomonis in usu fuit: qualis.

1. Secreta coram DEO.

§. 20. Facilè autem, de qua Confessione verbum Salomonis sit accipiendum intelligimus, si quæ id temporis confitendorum peccatorum fuerit consuetudo ex historia Sacra discamus: ubi *primo omnium se offert secreta confeßio, qua homines peccatores post institutam vitæ suæ & actionum explorationem peccata sua & transgreßiones, quas serio agnoscunt, & deplorant, vel tacitis gemitibus & suspiriis, vel simul etiam externa voce & sermone, soli DEO confitentur,* seque reos iræ & æternæ damnationis esse, cum verò cordis dolore intra se sentientes, divinam misericordiam implorant. Quæ confessio omnium à mundi origine, post lapsum, temporum & seculorum est, quippe cum contritione illa, quæ pars pœnitentiæ est, ita coniuncta ut ab eadem separari nequeat. Quo pacto primi Parentes post violatam legem moniti, peccatum suum sunt confessi, ac simul posteris omnibus exemplum reliquerunt, quod imitarentur, in quod etiam respexerunt, quorum confessiones sacræ literæ Vet. Test. passim describunt. *Est deinde confes-*

confeßio, qua homo peccator, non tantum coram DEO, sed etiam coram Sacerdotibus & Ecclesiæ ordinariis ministris, cor suum effundit & se peccasse fatetur, quo D. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. part. 2. cap. 5. ubi hoc de confessione argumentum ex professo tractat, refert *sacrificiorum pro peccatis oblationes*, in quibus, qui hostias adduxerunt, simul peccata sua sunt confessi. Talis confessio fuit Davidis, post commissum cum Bathseba adulterium, & non multo post in Vria homicidium: monitus enim à Nathane scelerum tam gravium, minime est inficiatus, 2. Sam. 12. & 13. *Est porro confeßio, qua quis proximum graviter offensum, vel sponte sua, vel ad aliorum exhortationes adit, se peccasse agnoscit, sibiq; ignosci humiliter petit*, simul promittens nunquam deinceps sese tale aliquid, quo lædi proximus posset, commissurum: quo modo Saul crudelissimus Davidis persecutor, semel iterumque agnovit & confessus est, nullam se habere tam hostilis persecutionis causam, *se iniustum esse, Davidem vero justum*, 1. Sam. 24, 18. cap. 26, 21. Huc pertinet mandatum Apostolicum (quod omnino etiam in Vet. Test. omni tempore viguit, ut aliæ leges morales, confer Matth. 5, 23.) Jacob. 5, 16. *Confitemini invicem peccata vestra.* Sanè Pontificii illud ad stabiliendam confessionem suam sacramentalem trahunt, sed non sine violentia, id quod ex ipsismet nonnulli agnoscunt. Rotunde Caietanus: *Non hic est sermo de confeßione sacramentali, ut patet ex eo quod dicit confitemini invicem. Sacramentalis enim confeßio non fit invicem, sed sacerdotibus tantum, sed de confeßione, qua mutuo fatemur nos esse peccatores, ut oretur pro nobis, & de confeßione hinc & inde erratorum pro mutua placatione & reconciliatione.* Ita & Erasmus sentit, ac rectissimè quidem. Licet enim ex Nostratibus quidam Apostoli verba de ingenua peccatorum coram ministro verbi edita confessione explicent, ex circumstantiis tamen manifestum est, ad privatam offensarum confessionem, deprecationem & fraternam reconciliationem Apostolum hortari: quas circumstantias ex contextu diligenter declarat D. Frantz. tract. de Interp. Sacr. liter. oracul. 104. p. 939. & seq. *Est præterea confeßio publica, qua tota Ecclesia, vel maior cœtus publicè congregatus peccata sua confitetur, eorumq; remißionem petit*: qualis in Vet. Test. fuit, quando *Sacerdos ambas manus super caput hirci imposuit, & confessus est super illud omnes iniquitates filiorum Israel, & omnes prævaricationes*

2. Coram DEO & Sacerdote simul.

3. Coram proximo offenso.

4. Publica totius Ecclesiæ.

 eorum,

eorum, Levit. 16, 21. Confer quæ Paulus Fagius in Paraphrasi Onkeli Chaldaica, latinitate donata, ex Hebræa antiquitate ad hoc caput annotavit, ubi confessionum formulas, quibus Sacerdotes, tum quando pro tota Ecclesia Israelitica, tum quando pro se domoque sua expiationem fecerunt, usi sunt.
5. *Est tandem confessio, qua qui grande aliquod scelus, homicidium, adulterium, furtum &c. patravit, aut Superiores suos, Magistratus, Ecclesiæ ministros, Parentes, Præceptores offendit, sincerè, quid commiserit, fatetur*, ut remissionem consequatur, ut pœnæ mitigationem impetret, aut si hanc obtinere per leges divinas nequeat, ab æternis suppliciis se liberum & immunem futurum certus esse posſit: confer historiam Achan, Jos. 7, 20. 21. Omnes istæ confessionum species sicuti tempore Salomonis fuerunt divinitus, vel verbis expressis, vel tacitè mandatæ, & in usu ac consuetudine positæ, ita verbo מודה comprehenduntur, ut sensus sit. Tu, quisquis es hominum, fac ut quotidiè vitam actionesque tuas diligentissimè examines, & ubi multis te modis DEUM offendisse deprehendis, ingenue, humiliter & ex contrito corde secreto coram ipso omnia confitearis; fac ut idem à te fiat, sed tamen simul etiam coram sacerdote, quando sacrificium pro certo aliquo peccato offers. Tu qui proximum & fratrem vel verbis, vel factis læsisti, abi ad eundem, fatere te deliquisse, idq; sincere & cādide, utere deprecatione, pete ut tibi ignoscat. Quin & vos omnes, qui à DEO ad gratiæ regnum vocati estis eiusque populus vocamini, cum non ignoretis plurimis vos peccatis obnoxios, ac iram divinam & pœnas, tum temporales, tum æternas promeritos esse, *levate corda vestra cum manibus ad Dominum in cœlos & dicite: nos inique egimus, & te ad iracundiam provocavimus, peccavimus & recessimus à mandatis tuis, non obedivimus servis tuis Prophetis, Domine nobis confusio faciei Regibus nostris, Principibus nostris & Patribus nostris.* Tandem tu, qui in grande & atrox prolapsus es facinus, aut qui eos, quos honorare, quibus obedientiam præstare obstrictus es, gravius offendisti, cum fateri juberis, noli tergiversari, da gloriam DEO, obtempera hac quoque in parte Magistratui aliisque, sub quorum potestate vivis. Felicem te, felices quoscunque alios si hæc monita mea locum, patulas aures, pectora morigera invenerint!

Hominū sceleratorum & eorum qui superiores suos offenderunt.

§. 21. Coniungit autem Salomon cum *confeßione* pecca- 2.
torum diſertè eorundem *relictionem* evitationem & fugam: He- Eorundē relictio
bræum עזב (à quo græcum ἐλέγχων longius abit, ut per ſe ma- quæ fit.
nifeſtum) in genere ſignificat quocunque modo *ſeſe ſeparare*, *ſe-*
jungere, *deſerere*, *omittere*, *dimittere* &c. & tum de perſonis, tum
de rebus uſurpatur. Exempla apud Lexicographos extant, confer
Pagnin. & Schindl. Hoc loco ubi de peccatis ſermo eſt, plura
complectitur. Is enim demum relinquere priora à ſe commiſſa
peccata dici poteſt, *qui ſæpius in memoriam ea cum dolore revocat*, ſi- 1.
quidem reducere, hic eſt abigere: Securi animi argumentum eſt, Crebra recordatio-
præteritorum lapſuum non amplius meminiſſe; tametſi enim de ne.
divina gratia & eorum remiſſione per ſeriam pœnitentiam impe-
trata dubitandum non ſit, mente tamen crebrius eadem recolen-
da, ut hoc pacto & miſericordia Dei melius agnoſcatur, & pectus
contra peccata muniatur firmius: Chryſoſt. vel quivis alius autor
homiliar. ad popul. Antioch. homil. 41. cuius ἐπιγραφὴ eſt: *quod*
magnum ſit bonum propria agnoſcere peccata, tom. 5. p. 303. *Bonum*,
inquit, *eſt ſemper peccatorum meminiſſe: nihil ita corrigit peccatum,*
ſicut perennis memoria, nihil tam ſegnem facit ad malum &c. Hoc
modo peccata reliquit David, qui jam ſenex, aut ſenectuti vicinus
delictorum juventutis, non ſine triſtitia fuit memor, Pſalm. 25, 7. &
ne Jehova eorum meminiſſe velit ardenter oravit. Hoc modo
Auguſtinus, qui ipſe quoque in confeſſionis libris, non ad juven-
tutem tantum & pueritiam, ſed uſque ad primam infantiam re-
trogreſſus eſt, & illius ætatis peccata recoluit. *Quis*, inquit, *com-*
memorat mihi peccatum infantiæ meæ, in qua reprehendenda multa
faciebam: ab infantia in pueritiam veni, vel ipſa potius venit in me, &
ſucceßit infantiæ. Domine DEUS meus peccabam faciendo, contra præ-
cepta parentum & Magiſtrorum. Recordari volo tranſactas fœdita-
tes meas & carnales corruptiones animæ meæ; non quod eas amem, ſed
ut amem te, DEUS meus, amore, tui amoris iſtud facio, recolens vias
meas nequißimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulceſcas mi-
hi &c. Deinde is relinquere peccata dicitur, qui non tantum ipſa ma-
lefacta recolit, ſed ſimul etiam eorundem gravitatem & atrocitatem,
per omnes circumſtantias expendit, ac ſecum imprimis cogitat, *quod*
offenderit DEUM, à cuius gratia animam, corpus, vitam habeat, &
infinita ſingulis momentis accipiat beneficia, quæ rurſus ad eius

2. Atrocitatis consideratione. gloriam omnia fuerant conferenda: cogitat, quantum Dei adversus peccatum sit odium, id quod ex horrendis suppliciis & pœnis, à mundi origine impiis hominibus illatis, aliquo modo cognoscitur: cogitat, quantum bonorum & spiritualium & corporalium thesaurum per peccata amiserit, quantis è contrario & quam innumeris sese malis immerserit: in quo argumento copiosus est Chrysost. homil. 41. in cap. 19. Act. Apost. tom. 3. p. 716. & seq. ut & homil. 9. in cap. 3, 1. ad Corinth. tom. 4. p. 393. & seqq. unde pauca hæc adscribere juvat. *Peccatum est peius ipso Dæmone, peccantes sunt deterius affecti, quam à Dæmonio vexati. Barbarum peccatum est, quod cum animam semel captam, ita ut contra persuaderi nesciat, in suis sordibus demerserit, sub tyrannidem redigit; nihil tam violentum quam peccatum, omnia enim evertit; confundit, perdit, quocunque inciderit*: confer si placet, utroque loco allegato

3. Extremo Odio. seqq. plura. *Relinquit etiam peccata, qui ea extremè odit*, aversatur, & detestatur juxta præceptum Siracidis 17, 22. *valde odio habe rem abominandam*: quod odium per se ex atrocitatis consideratione nascitur. Quis enim non odisset rem omnium fœdissimam, unum atque unicum orbis malum & cæterorum omnium malorum seminarium, miseriarum omnium pelagus profundissimum? confer disp. præc. §. 135. Ad hoc peccati ex eius atrocitate natum odium sponte ipsa, *propriè dicta relictio*, sequitur, quo quis peccata, quibus pridem deditus fuit, deinceps vitat & fugit, memor moniti Sapientis cap. 21: 1. & seq. *Fili peccasti non adiicias iterum: quasi*

4. Fuga & aversatione. *à facie colubri fuge peccata: si accesseris ad illa mordebunt te, dentes leonis, dentes eorum interficientes animas hominum, quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non est curatio*, & cap. 17, 21. & seqq. *Convertere ad Dominum & relinque peccata, minuè offendicula, convertere ab iniustitia.* Quæ relictio & fuga etiam continet *vitationem omnium peccandi occasionum*, quæ maximoperè necessaria est. Non enim verè atrocitatem agnovisse peccati, idemque odisse & reliquisse creditur, qui iis sive locis, sive conversationibus adhuc delectatur, per quas facilè in pristina relabi scelera potest atque

5. Occasionũ peccandi evitatione. seduci: *Ne de lecteris in semitis impiorum* (verba sunt Proverb. 4, 14.) *nec tibi placeat malorum via: fuge ab ea nec transeas per illam, declina & desere eam*, & cap. 5, 8. *longè fac à muliere fallaci viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Non in eo tantum laborandum nobis est,*

eſt, inquit Baſil. Magn. conſtit. cap. 3. tom. 2. p. 757. *ut motus animi in cogitando moderemur, ſed quo ad fieri poßit ab earum etiam rerum congreſſu longißime fugiendum eſt, cumprimis quæcunque in conſpectum nobis adducta, conſilium rationisq; vim perturbant atque confundunt, bellaq; & ſolicitos in animo angores cient. Etenim bellum quod præter voluntatem noſtram incidit nobis, excipere fortaſſe neceſſarium ſit; ipſum vero aliquem ſibi voluntarium creare, id vero ſummæ ſtultitiæ eſt*, &c.

6. Virtutum contrariarum amplexu & ſtudio.

§. 22. Neque tamen ut in ſola peccatorum relictione, & fuga ſubſiſtamus, Salomonis mens eſt, ſed ſimul etiam ad virtutum amplexum tacitè hortatur. Hęc ſiquidem ratio eſt omnium mandatorum divinorum, ut dum vitia & peccata fugere jubeant, eo ipſo quoque contrarias perſequi & colere virtutes præcipiant: unde non raro expreſſe utrumque coniungit ſacra ſcriptura, id eſt, peccati fugam exigit & virtutis ſtudium poſtulat, Pſalm. 34, 14. & 37, 27. *diverte à malo & fac bonum*, Eſa. 1, 16. *Lavamini auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, quærite judicium* &c. Rom. 12, 9. *odio proſequentes malum, adhærete bono*: in quæ loca Hieron. *prioribus*, inquit, *præceptis improbatur otium, poſterioribus imperatur ſtudium: ibi animus coercetur, hic incitatur, illic feciſſe, hic non feciſſe culpabile eſt. Solum malum non admittere* (ita ſcribit Hilar. p. 635. ad verba Pſal. 144. v. 2. *per ſingulos dies benedicam tibi* &c.) *non habet laudem, niſi mali abſtinentiam etiam gloria boni operis conſequatur. Exordium proceßionis ad virtutem eſt abſtinere à peccato, & hic ordo diſciplinæ ut ab inferioribus ad perfectiora contendas, nam ab ipſo principio profeßionis Chriſtianæ non modo cavenda prohibita, ſed etiam facienda imperata ſunt*, confer Ambroſ. Enarrat. Pſalm. 1. v. 1. & 2. tom. 4. p. 463. ſeqq. Non itaque ſufficit ſi quis luxuria, & libidinibus abſtineat, *ſi fugiat ſcortationem*, 1. Cor. 6, 18. *ſi abſtineat à fornicatione*, 1. Theſſ. 4, 3. niſi etiam ſit caſtitatis cultor, *& ſciat vas ſuum poßidere in ſanctificatione & honore*: non ſatis eſt, avaritiæ non eſſe deditum, niſi etiam liberalitas & beneficentia erga egenos exerceatur. Quos Chriſtus Salvator variis liberavit morbis & ſanavit, eos illico ſurgere & ambulare juſſit: ſic qui jam divina gratia peccata reliquit, & animæ ſanitatem conſecutus eſt, bonis operibus ſtudere, *& in iis ambulare debet*, Eph. 2, 10. confer Gregor. Magn. Expoſit. moral.

 in Job.

in Job. libr. 23. cap. 15. p. 788. ad verſ. 19. cap. 33. Jobi. *Increpat quoque per dolorem in lectulo &c.*

3. Felix eventus; Cõſecutio miſericordiæ.

§. 23. Magnum & inæſtimabile, quod hoc modo peccata confidentibus & relinquentibus, ex gratia promittitur præmium eſt *miſericordiæ conſecutio. Qui confeſſus fuerit & reliquerit peccata miſericordiam conſequetur.* Hebr. ירחם cuius radix רחם ſignificat *diligere*, non quovis modo, ſed *vehementiſſime, tenerrime, ſive interno affectu, qui viſceribus inditus eſt, tangi & commoveri erga aliquem, ſumma commiſeratione proſequi, eo complecti modo, quo fœtum maternus uterus*, ita ut opponatur, τῷ חרם quod eſt *excidio & perditioni devovere, ſine omni commiſeratione de medio tollere*; unde Lutherus noſter *futurum* ארחמך quod extat, Pſ. 18, v. 2. licet græci ſimpliciter per ἀγαπήσω, latinus per *diligam* reddiderint, optimè expreſſit germanicis verbis, Herzlich lieb hab ich dich &c. Eadem ferè vis eſt græci paſſivi, σπλαγχνίζομαι cuius uſus apud profanos ſcriptores rarior, in ſacris libris vero crebrior eſt, confer Matth. 9, 36. cap. 14, 14. cap. 15, 32. cap. 20, 34. &c. Τὰ σπλάγχνα, ut notum, inteſtina proprie ſunt, Actor. 1, 18. ſed eadem voce omnes teneri, ac inprimis materni affectus denotantur, confer Luc. 1, 78. 2. Cor. 7, 15. Philip. 1, 8. cap. 2, 1. Coloſſ. 3 12. 1. Joh. 3, 17. hinc *paſſivum* σπλαγχνίζομαι, *commiſeratione, quæ ex intimis viſceribus proficiſcitur, tangor.* Activâ σπλαγχίζω (quod obiter notamus) ſignificatio alia eſt, quod tamen in N. T. nuſpiam legitur, & forte etiam rariſſimè in profanis authoribus: non enim eius meminit in theſauro ſuo Henricus Stephanus. Author hiſtoriæ Maccab. lib. 7. cap. 6, 8. ubi Judæos à Tyranno Antiocho ad celebrationem feſti Dionyſiorum & ſacrificia Ethnica vi coactos fuiſſe refert, id uſurpat, Verba ſunt: *Ducebantur Judæi per vim acerbam ad diem Regis natalem ſingulis menſibus celebrandum*, ἐπὶ σπλαγχνισμὸν, *atque ad agitandum colendumq; Bacchanaliorum ſolenne, cogebantur Iudæi hæderâ redimiti, Baccho pompam ducere. Decretum inſuper in vicinas Græcorum urbes eſt editum Ptolomæi inſtinctu, idem inſtitutum contra Iudæos urgere*, καὶ σπλαγχνίζειν. Ubi nomẽ σπλαγχνισμὸς, vulgatus reddidit latinè ſacrificium, verbum σπλαγχνίζειν, *ſacrificare.* Sed Franciſcus Vatablus prius vertit *viſceratio*, poſterius *facere viſcerationem*, & addit: σπλαγχνισμὸς, *viſceratio erat ſacrificii genus, aut epuli in quo viſcera cæſorum animalium, quæ idolis erant mactata*

come-

comedenda distribuebantur. Et paulo post σπλαγχνίζειν *idem est quod* κρεανομεῖν, *carnes sacrificii crudas dispertire*, Piscator germanicè: Opfferstuck außtheilen.

Quæ erga serio pœnitentes & confitentes ardentissima est.

§. 24. Immensam hanc Dei erga homines peccata sua ex seria contritione & fide confitentes, misericordiam scriptura sacra verbis valdè emphaticis passim deprædicat: *magnam* vocat, 2. Sam. 24, 14. Nehem. 9, 17. Psalm. 51, 3. Esai. 54, 7. *æternam*, 2. Paralip. 5, 13. Esdr. 3, 11. *ardentem & accensam*, Hos. 11, 8. *tantam quantus DEVS ipse est*, Sir. 2, 21. Deum ipsum dicit οἰκτίρμονα καὶ πολύσπλαγχνον, Jacob. 5, 11. *misericordia divitem*, Ephes. 2, 4. *Patrem misericordiarum*, 2. Corinth. 1, 3. Quæ omnia pluribus exemplis per utrumque testamentum luculenter confirmantur: *primorum parentum*, Genes. 3, 15. *Israelitarum*, de quibus Asaph, Psalm. 78, 10. & seqq. *Non custodiverunt testamentum* DEI, *& in lege eius noluerunt ambulare, sed semper apposuerunt peccare, & in iram excitaverunt excelsum &c. ipse autem erat misericors & propitius peccatis eorum & non disperdebat eos, & abundavit ut averteret iram suam. Davidis*, 2. Sam. 12, 13. & cap. 24, 10. *Manassis*, 2. Paral. 33, 12. *Petri*, Matth. 26, 69. & seqq. Quo pertinent parabola de *publicano*, Luc. 18. de *ove perdita*, Luc. 15, 4. seqq. *inprimis* de Acolasto & *filio prodigo*, cap. cit v. 12. & seqq. in qua veluti in theatro quodam, tum hominis peccatoris extrema miseria, tum immensa & admiranda Dei misericordia spectanda introducuntur. Meritò author homil. de Patre & duobus filiis, tom. 2. oper. Chrys. pag. 1304. *Hic*, inquit, *apertè divina in homines charitas* (& misericordia) *describitur: occurrit Pater Filio revertenti, superfunditur collo eius, & in eo lachrymans requiescit, osculatur os eius, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam Pater lætus excepit* &c. Ambros. l. 7. in Luc. cap. 15. tom. 5. p. 122. *Non vereamur, quia acceptum spirituale patrimonium dignitatis terrenis prodegimus voluptatibus, festinare ad Patrem, non enim DEVS delectatur perditione vivorum, jam occurrens venienti tibi cadit supra collum, osculum dabit quod est pignus amoris, stolam, annulum, calceamenta proferri jubebit. Tu adhuc iniuriam metuis? ille restituit dignitatem: tu supplicium vereris? ille osculum defert: tu convicium times? adornat ille convivium* &c. confer serm. de tempore Barbarico cap. 7. tom. 9. oper. August. p. 999. Hieron. epist. 146. ad Damasum, Tom. 1. p. 406. & seqq. maximè Petri Chrysologi Raven-

natis

natis Episcopi sermones quinque, de duobus filiis prodigo & frugi, & ex iis inprimis *tertium*, quo cap. 15. Luc. versiculos à 18. usq; ad 24. explicat, & infinitam DEI erga pœnitentes misericordiam verbis religiosissimis, jucundissimis, solatio plenissimis, adeoque lectu gratissimis depingit Bernhardi de interiori domo, cap. 37. pag. 305. columm. 3. ubi pulcherrimè inter alia, *sic festinat*, inquit, *misericors DEVS absolvere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciet misericordem DEVM compaßio miseri, quam ipsum miserum compaßio sui: omnis spes veniæ & misericordiæ est in confeßione vera &c.*

Nec tamē propter confessionem divinitus obtingit.

§. 25. Cavendum autem diligentissime, ne huius *misericordiæ divinæ consecutionem propter confeßionem obtingere*, persuaderi nobis patiamur. Veteres Ecclesiæ Doctores in suis ad pœnitentiæ exercitia, & peccatorum confessionem exhortationibus nonnihil securius scripsisse & locutos fuisse, ex ipsorum monumentis clarum est. Dum enim amplissimos ingenuæ confessionis fructus commemorarunt, sæpius eidem occultam quandam abluendorum peccatorum atque purgandorum à vitiorum inquinamentis pectorum virtutem tribuerunt. *Peccati sola confeßio hominibus sæpe saluti fuit, acerbißimisq; lachrymis graves noxas abluit, animamq; vitio tetram obscœnamq; purgavit*, Gregorii Nazianzeni: *Solvit criminum nexus verecunda confeßio peccatorum*, Ambrosii: *Una solaq; purgatio peccatoribus reliqua est post peccata, videlicet ut sua commissa confiteantur: confeßio affert salutem cui contemtus attulerat mortem*, Chrysostomi. *Peccata in confeßione lavantur: confeßio peccatorum purgat, confeßio peccatoris est vita* &c. Bernhardi verba sunt. Cupidissime hæc Pontificii arripiunt, quorum dogma est, *de congruo mereri hominem peccatorem confeßione sua peccatorum abolitionem & destructionem.* Cornel. à Lapid. in hunc locum nostrum, pag. 391. *Confeßio*, ait, *est peccati retractatio, itaque congrua ad veniam dispositio. Pœnitens enim peccatum suum confitendo, illud revocat, retractat, &, quantum in se est abolet, & destruit, quia de illo dolet, illudq; refutat & detestatur: quare meretur, ut DEVS illud condonet, & per gratiam suam destruat.* Jacob. Alvaretz de Paz. tom. 2. operum spiritual. part. 1. cap. 7. §. 2. quo de confessione speciali & qualitatibus bonæ confessionis agit: *Confeßionis*, inquit, *utilitates sunt maximæ: nam ipsa culpas lavat, pœnas extenuat, gra-*

Vti Pontificii volunt.

tiam

tiam ad cavenda inposterum peccata subministrat. Subiicit & laudat verba Ricardi Victorini: *Omnia in confeßione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, mare fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit.* itemq; Laurentii Justiniani: *Confeßio veniam impetrat, gratiam promeretur, humilitatem nutrit, cœlum aperit, iram DEI coercet, pacem reddit, & offensam maiestatem cito propitiat, dummodo debito modo fiat* &c. Idem tom. eod. part. 4. lib. 4. cap. 5, de aperta conscientiæ manifestatione, pag. 1601. *Vera confeßio quasi prima alios actus virtutis ducit, diabolum debellat, & regnum cœlorum promeretur* &c. vide etiam Thom. suppl. part. 3. q. 10. *de effectu confeßionis.* Aliena sunt hæc talia ab analogia fidei, quin & iniuria in æterni Patris gratiam, Christique meritum ac satisfactionem: hisce enim tantum, si vera fide apprehendantur, scriptura sacra deletionem destructionemque peccatorum, atque ab iisdem mundationem tribuit, quod alibi uberius ostenditur. Nec rectè concluditur: qui peccata sua confitetur, misericordiam consequetur. Ergo confeßio peccatorum est opus meritorum gratiæ, delet peccata, mundat animam &c. Ineptus esset qui ex verbis Apostoli, 1. Tim. 1, 13. *Misericordiam DEI consecutus sum, quia ignorans feci,* aut ex Hebr. 4, 16. *adeamus ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur,* concluderet, ignorantiam Pauli, aut accessum ad thronum gratiæ, esse causas misericordiæ divinæ promerentes. Ita ineptum quoque est ex eo, quod misericordiam consequitur, qui peccata sua confitetur, colligere velle, confeßionem promereri misericordiam. Varia enim DEUS pro sapientißima voluntate sua, in quotidianis sanctimoniæ exercitiis, quibus ad gratiam & vitam itur, nobis præscripsit, quæ nequaquam causarum rationem habent. Ordinis haut pauca partes sunt, quem ab omnibus, qui misericordiam & salutem consequi cupiunt, observari DEUS præcepit, causa autem non sunt, quò etiam confeßio pertinet, quam DEUS ab homine peccatore exigit, non ut ea misericordiam mereatur, sed ut ex vera agnitione peccati, & pœnarum inde promeritarum consideratione, ardens gratiæ & misericordiæ desiderium in eodem excitetur, ut & alias propter causas alibi commemorandas: quem ordinem respexit David, Psal. 32, 5. *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei,* & Johan. 1. epist. 1, 9. *Si confiteamur pec-*

Contra fidei analogiam.

cata nostra fidelis & justus est DEVS, *ut remittat nobis peccata no-stra &c.*

Locus De Confessione: ubi. 1. Ὀνοματολογία, quæ complectitur. 2. Etymologiam.

§. 26. Transimus nunc à sententiæ Salomoneæ ἐξηγήσει ad ipsum doctrinæ de Confessione pœnitentiali caput, eiusdemq; brevem & succinctam tractationem, ubi ex receptæ methodi legibus, ab ἐξετάσει nominis ordiendum: quod, licet *non ab Ecclesia*, ut plura alia, melioris explicationis gratia *traditum* sit, sed in sacris literis expresse legatur, hoc tamen significatu, qui huic doctrinæ proprius est, ut peccatorum confessionem significet, nuspiam, quantum novimus, reperitur: quo pacto à verbi, *confiteri*, unde deducitur, usu abit, quippe quod omnino passim in utroque testamento, quando de peccatorum manifestatione sive annunciatione sermo est, adhibetur, confer Jos. 7, 19. Dan. 9, 4. Jacob. 5, 16. Actor. 19, 18. Esse autem τὸ *confiteri*, verbum compositum satis notum, cuius simplex *fateor*, grammaticorum alii *à fari* deducunt, quod idem sit ac vehementer loqui, alii, ut quantitatis sit facilius reddere rationem, à græco φατός, dicendus, fandus, derivant, & distinguunt inter *fateor*, quod sponte aliquid affirmare sive pronuntiare significet, & *confiteor*, quod cum coactione quadam coniunctum sit, & *profiteor*, quod aliquid ad gloriam præ se ferat. Respondet latino *Confessio*, hebræum תודה, quod ipsum etiam *de peccatorum confessione*, nec in scripturis sacris, nec forte alibi usurpatum legimus, licet verbum à quo originem trahit, hanc, præter alias, significationem habeat. Idem vero ut plurimũ est atque latina, *gratiarum actio*, *celebratio*, *laus*, *aut res laude digna*, itemque *sacrificium laudis*. Semel, nimirum Jos. 7, 19. de commissi criminis manifestatione accipiendum forte videri posset, ubi Josua Dux populi Israelitici, Achan sacrilegum monens, ut, *quid fecerit indicet*, inquit, תן תודה ליהוה: sed ex ipsa phrasi & verbis statim sequentibus hoc quoque loco nomen תודה communem significationem suam retinere, liquet. Ad laudis enim divinæ celebrationem pertinet, si quis legitime interrogatus veritatem ingenue fateatur, unde Chaldæus hebræum תודה per יקרא quod propriè gloriam & honorem significat, græci per δόξαν, latinus per *gloriam* reddiderunt. Lutherus, gib Gott die Ehr. Rabinorum ודוי huc, scil ad pœnitentialem peccatorum confessionem recte refertur, utpote quo certa notatur

ratur formula, qua Judæi statis temporibus peccata sua singulari
affectu, & cum pectoris contusione ad singula verba, recitare
consueverunt, vide Buxtorf. Lexic. Chald. pag. 933. Græci com-
posita vocabula ὁμολογία, & ἐξομολόγησις (quorum simplicia notis-
sima sunt) habent, quanquam posterius quidem in libris apocry-
phis & apud Scriptores Ecclesiasticos, non autem in Codice N.T.
occurrat, prius autem ea fere ratione qua Hebræum תודה id
est, de confessione fidei, qua nomen divinum celebratur, non de
peccatorum confessione usurpetur. Confer 1. Tim. 6, 12. & 13. He-
bræor. 4, 14. At verba ὁμολογέω & ἐξομολογέομαι, licet creberrimè
etiam Hebrææ vocis naturam sequantur, aliquando tamen et-
iam, ubi de confessione pœnitentiali verba fiunt, adhibentur, con-
fer 1. Johan. 1, 9. ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας &c. Jacob. 5, 16. ἐξο-
μολογεῖσθαι ἀλλήλοις &c. *Germanorum vox est*, Bekantnuß / item
Beicht / de qua posteriore Lutherus, in der Warnungs-Schrifft
an die zu Franckfurt am Mayn / daß sie sich für Zwinglische Lehr vnd
Lehrern hüten soll &c. tom. 6. Jenens. germ. fol. 109. fac. a. Beicht
kommt her / von dem alten teutschen Wort Bejicht: daher man die
heilige Bischoffe nennet Confessores, Bejichter / das ist / Bekenner:
den bejichten / heißt bekennen; wie auch im Gericht das Wort noch
in Vbung ist / Brücht: vnd man sagt / das jicht er / das hat er be-
jicht / ꝛc. vnd seind zwey vnterschiedliche i in dem Wort bejicht / wel-
ches mit der Zeit ist in ein i verwandelt / vnd durch Mißbrauch /
Beicht / als mit einem i / geschrieben / vnd geredt; wie viel andere teut-
sche Wörter also verderbet sind ꝛc.

§. 27. Porro voces *confeßio & confiteri* per omnes linguas 2.
in sacris literis varias habere significationes ex modo dictis facile Homony-
colligere licet. Est *confiteri sæpe* nil aliud, quam *simpliciter testari*, miam.
palàm, certò, liquidò ac intrepidè affirmare, Joh. 1, 20. *Baptista con-
fessus est & non negavit*, Matth. 10, 32. *si quis me confessus fuerit coram
hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo cœlesti*, confer Luc.
12, 8. Rom. 14, 11. Tit. 1, 16. *Frequentißime* vero in Vet. Test. idem
est, ac Deum, *eiusq; misericordiam, bonitatem, sapientiam, justitiam,
celebrare, laudare, gratias agere*, per synecdochen: qui enim ali-
quem celebrat simul fatetur aut profitetur res ab ipso præclare ge-
stas, aut accepta beneficia, confer Gen. 29, 35. 2. Sam. 22, 50. Psal. 6,
6. & 18, 50. Es. 12, 1. cap. 38, 18. Dan. 2, 23. quæ *confeßio*, vel fit *priva-*

tim à ſingulis, cum beneficia divina ſecum piè meditantur, Gen. 29,35. Pſalm. 42,6. vel *in publicis & ſolennibus ad exercitia ſacra congreßibus*, Nehem. 12,24. Non raro tamen ſignificat, *agnoſcere intra animum peccata, eademq; vel ſecretis gemitibus, vel ſimul verbis & ore exponere & aperire*, Levit. 16,12. Pſalm. 32,5. Matth. 3,6. & 7. vide Flac. clav. part. 1. ſub titulo *confiteri*, pag. 159. & Ravanell. ſub titulo eod. pag. 338. Altenſtaig. & Tytz Lexic. pag. 168. & 175. Ex poſterioribus duabus ſignificationibus nata eſt, *notiſſima diſtinctio confeßionis, quod ſit vel laudis, vel fraudis*; hauſta ex Auguſtini *partim*, ſerm. 8. de verb. Dom. in Evang. ſecundum Matth. tom. 10. pag. 28. ubi ad verba Chriſti, Matth. 11, 25. *confiteor tibi Pater* &c. ſcribit: *Confitemur ſive laudantes DEUM, ſive accuſantes nos ipſos: pia utraq; eſt confeßio, ſive cum te reprehendis, qui non es ſine peccato, ſive cum illum laudas, qui non poteſt habere peccatum, ſi autem bene cogitemus, reprehenſio tui, laus ipſius eſt* &c. *partim* enarrat: Pſal. 30. tom. 8. p. 156. & ſeq. ubi ad verſ. ult. *Domine DEUS meus in æternum confitebor tibi. Quid eſt*, inquit, *in æternum confitebor tibi? In æternum laudabo te, quia diximus eſſe confeſſionem & in laudibus, non tantum in peccatis: confitere ergo modo, quod tu feciſti in DEUM, & confiteberis quid tibi fecerit DEUS. Quid feciſti? peccata. Quid DEUS tibi confitenti iniquitatem tuam? dimittit tibi peccata tua, ut poſtea laudes ipſius confitens in æternum non compungaris peccato*, confer eundem in enarrat: Pſalm. 117. (118.) tom. 8. pag. 1317. De hac diſtinctione Hugo de Sanct. Victore tom. 1. in annot. Elucid. in quoſdam Pſalmos Davidis, cap. 64. p. 51. *confeßio criminis vel fraudis eſt converſio peccatoris, confeßio laudis eſt glorificatio creatoris: confeßio fraudis eſt in deteſtatione mali, confeßio laudis in exaltatione boni; confeßionem fraudis parit timor, confeßionem laudis parit amor.*

3. Synonymiam.

§. 28. *Synonyma Confeßionis pœnitentialis* in ſcripturis diverſa reperiuntur. David pœnitens, Pſalm. 38,19. eam vocat *annunciationem iniquitatis ſuæ: iniquitatem meam*, inquit, *annunciabo*. Verbum hebræum proprie ſignificat, *indicare, exponere, enarrare*, adeoque quod animo volvitur, ore proferre & indicare: quo etiam utitur, Joſua cap. 7, 19. quando ad Achan, *indica*, inquit, *mihi quid feceris*. Author explanationum ſuper Pſalmos 36, 37. & 38. apud Origenem, tom. 1. pag. 471. ad hæc Pſalmi verba. *Pronunciatio*, inquit, *hic eſt confeßio peccati, vide ergo quid edocet nos ſcriptura*

divina,

divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortaßis enim, si-
cut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel
phlegmatis stomacho graviter & molestè imminentia, si vomuerint,
relevantur: ita etiam hi, qui peccaverunt, siquidem occultant & reti-
nent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocan-
tur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat,
dum accusat semetipsum & confitetur, simul evomit & delictum atque
omnem morbi digerit causam &c. Idem Hieropsaltes *notificatio-*
nem dicit; Psalm. 32, 5. *Delictum meum notum tibi feci.* Non inco-
gnita Deo sunt hominum peccata. Cum enim *omnium filiorum*
hominum corda cognoscat, 1. Reg. 8, 39. cum *hominum sciat cogitatio-*
nes, Psalm. 94, 11. & quidem *à longe* atque ab æterno, Psalm. 139, 2.
sciat *sermonem in lingua* eorum, v. 4. cum *omnia nuda & aperta sint*
oculis eius, Hebr. 4, 13. sane & peccata hominum ut noscat, necesse
est. Imo nemo unquam hominum sua peccata, sive originale, si-
ve actualia, eorumque gravitatem, atrocitatem, multitudinem
spectemus, tam novit accurate, neque nosse potest quam Deus,
qui etiam *occultum nostrum in illuminatione vultus sui ponit*, Ps. 90, 8.
Non itaque homo peccata sua confitens, Deo, quod nesciat, ape-
rit aut notum facit, sed tantum quod ipse jam ante cognitum esse
intelligit, se quoque agnoscere testatur. Chrysost. in cap. 4. Gen.
tom. 1. p. 144. *Num quia DEUS ignorat, discere vult: nequaquam quia*
ignorat, à nobis confeßionem requirit, quia omnia scit antequam fiant,
sed volens per confeßionem nos quoque peccatorum habere sensum &c.
Talia sunt, quando qui peccata sua confitentur, ea dicuntur *non*
abscondere, Job. 31, 33. *Non abscondi quasi homo peccatum meum* &c.
non tegere, Psalm. 32, 5. Prisci Ecclesiæ Doctores in hoc argumento
dum versantur, variis modis confessionem pœnitentialem de-
scribunt, variis appellant nominibus, quæ tamen cautè & ad fidei
analogiam sunt legenda & amplectenda. Chrysost. loc. modo cit.
Confeßio, inquit, *peccatorum est abolitio delictorum*, alibi in cap. 1.
Genes. homil. 5. p. 27. eam appellat, *peccatorum abluitionem*. Autor
sermonum ad fratres in eremo, serm. 30. quo toto de confessione
peccatorum agit, tom. 10. August. p. 1335. inter alia, *Hæc* (confessio)
inquit, *est salus animarum, dißipatrix vitiorum, restauratrix virtu-*
tutum, oppugnatrix dæmonum, pavor inferni, obstaculum diaboli, an-
gelorum tunica, Ecclesiarum fiducia, salus, dux, baculus, lumen, & spes

 omnium

omnium fidelium. O Sancta & admirabilis confeßio? tu obstruis os inferni, & aperis portas paradysi, ô confeßio, vita justorum, peccatorum gloria! &c. Huiusmodi plura passim in monumentis Patrum occurrunt, qui dum hyperbolicis laudibus & ultra regulam confessionem extulerunt, vel ad regulam fidei, quantum fieri potest, revocandi & explicandi, vel omnino deserendi sunt.

2. Πραγματολογία in qua. An sit confessio?

§. 29. In quæstione *εἰ ἔστι an sit confeßio pœnitentialis*, explicanda, multum ut laboremus opus non est. Siquidem clarissima sacrarum literarum utroque testamento plurimis locis eam partim describunt, partim exigunt, partim eiusdem exponunt fructus. Accedunt illustria seriæ pœnitentiæ exempla, qui gratiam & remissionem à DEO petentes inter gemitus & lachrymas peccata sua sunt confessi. *Distinguendi tamen sunt diversi hominum status.* Siquidem *in statu integritatis*, ut nullum confessionis obiectum, scil. peccatum locum habuit, ita nec peccati confessio. *Laudis confeßio*, si homo in sanctitate sibi concreata perstitisset, ipsi toto vitæ naturalis curriculo, sive quamdiu viatorem, ut Scholastici loquuntur, egisset, assidua fuisset & quotidiana: *nulla vero fraudis*: Sic neque in *statum gloriæ* transibit peccati confessio, quando homo non tantum ad pristinam sibi concreatam integritatem reducetur, sed & amplioribus ornabitur donis, ac veluti angeli in justitia confirmabitur, ut in omnem æternitatem eâdem excidere nequeat. Sane quod peccatorum, tum originalis, tum actualium, in hac vita perpetratorum, aliqua in illa vita sit futura recordatio, non negandum. Quia enim electi assidue memores sunt futuri beneficiorum Christi merito & obedientiâ partorum, gratuitæ remissionis peccatorum, reconciliationis cum DEO, justificationis, aliorum, non poterunt non etiam de peccatis olim commissis cogitare; quæ verò cogitatio non erit cum dolore conjuncta confessio, sed potius maioris gaudii materia, ob *æternam* à peccato aliisque malis *liberationem*, Hebr. 9, 12. in qua perpetuis *laudis confeßionibus* deprædicanda læti, triumphantes, gloriosi occupabuntur. Habitatores cœlestis domus in *sempiternum laudant DEUM*, Psalm. 84, 5. semper *plenum os eorum gaudio & lingua exultatione*, Psalm. 126, 1. confer Apoc. 5, 8. & seqq. c. 7, 9. cap. 14, 2. cap. 19, 1. Quam in rem Lactantius lib. 7. divin. instit. cap. 23. sub init. p. 428. *Induentur animæ corporibus, & prioris vitæ factorumq; omnium*

memo-

memores erunt, & in bonis cœlestibus collocatæ ac fruentes jucunditate innumerabilium copiarum, præsenti DEO *gratias agent, quod malum omne deleverit, quod eos ad regnum vitamq; perpetuam suscitarit*, confer August. lib. 22. de Civ. D. cap. 30. quo argumentum *de æterna felicitate civitatis* DEI *sabbatoq; perpetuo*, copiose, verbis pulcherrimis suavissimisque persequitur, & totum opus suum claudit.

§. 30. Cæterum cum *confessionis peccatorum varia sint species*, alia *publica*, vel totius Ecclesiæ, vel certæ alicuius personæ, *alia privata*, vel coram DEO solo, vel etiam coram Ecclesiæ ministro, vel coram proximo offenso. Rursus *alia divinitus mandata*, adeoque omnibus pœnitentibus simpliciter necessaria: *alia bono Ecclesiæ consilio piaque intentione introducta* & libera voluntate recepta &c. confer D. Chemnit. Exam. Concil. Trid. part. 2. cap. 5. p. 384. seqq. Gerhard. LL. C.C. de pœnit. §. 97. & seqq. Hutter. L.L. C.C. p. 764. Eckard. dilucid. controvers. de pœnit. cap. 5. p. 134. seq. & supra, §. 20. *hic de ea quæ à* DEO *præcepta, & omnibus vere pœnitentibus necessaria est*, animus fert præcipuè agere. Talis vero præcipue est, *quæ fit* DEO *soli aut ad ipsum solum*, quando vel totus aliquis cœtus, vel personæ singulæ peccata sua in corde agnita, DEO humiliter & sincerè aperiunt, ac in sinum quodammodo eius effundunt. *Totus olim cœtus Israelitarum*, præeunte Sacerdote, sua quotannis peccata publice confiteri DEO tenebatur, Levit. 16, 21. & seqq. quò pertinent *publicæ preces*, quas vel impendentibus, vel prementibus publicis calamitatibus olim Judæi fuderunt, iisq; peccata sua quibus iram pœnasque promeruerant, confessi sunt, confer 1. Sam. 7, 6. Esdr. 9, 10. seqq. Nehem. 9, 1. & 2. Jud. 10, 10. Dan. 9, 5. Licet enim expressam de publicis hisce precibus & confessionibus legem non acceperint, ex generali tamen mandato, quo ad agnitionem peccatorum omnes legis transgressores, si misericordiam DEI consequi cupiant, obstricti sunt, se obligatos esse facile intellexerunt, confer Jer. 3, 12. *non irascar in perpetuum, sed tu scito iniquitatem tuam* &c. *Sic singulos etiam hominum*, peccata à se commissa ex mandato divino agnoscere, & DEO confiteri debere è verbis Davidis, Psalm. 32, 2. & seqq. satis clare apparet; *Dum tacui*, inquit, *inveteraverunt ossa mea, gravata est die ac nocte manus tua super me.* Sensus est: Debebam ego TE, ô DEUS, sic volente & jubente, peccata mea humiliter, & sincere tibi confiteri:

Confessiones peccatorum cū sint variæ.

Hic de ea quæ à DEO præcepta & cunctis pœnitentibus necessaria est. præcipue agitur & fit Soli DEO. A toto cœtu.

A singulis personis.

at prævaluit aliquandiu caro, ex cuius ſuggeſtionibus tacui, & peccata mea occultare conatus ſum: ſed heu quanta hoc ſilentio mihi mala atque pericula attraxi! *vetuſtate conſumta ſunt oſſa mea,* (ad quæ verba Auguſtinus: quoniam non protuli ore confeſſionem, omnis firmitas mea in infirmitate conſenuit) *rugii tota die* (intolerabiles morſus & cruciatus conſcientiæ intra me ſenſi,) *quoniam noctu & interdiu gravis fuit ſuper me manus tua. Ergo peccatum tibi meum notum faciam*: Parebo mandato tuo ſolvam ſilentium: fatebor ingenue quæ commiſerim, ut *impetrem remiſſionem culpæ peccati meæ.* Eodem ſpectant verba Johannis 1. epiſt. 1, 9. *ſi confiteamur peccata noſtra fidelis & juſtus eſt* (DEUS) *ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Habent promiſſionem ſolatio plenam, ſed quæ, ſicuti aliæ promiſſiones ferè omnes, includit mandatum hoc ſenſu. DEUS paratus eſt *peccata nobis omnia remittere, pollicetur mundationem ab omni iniquitate,* ſed ſimul præcipit, ut, quorum peccatorum remiſſionem deſideramus, ea prius agnoſcamus & confiteamur. Cyprianus ad hæc verba: *paternam miſericordiam promiſit DEUS & veniam ſecuturam, ſed ſimul orare nos pro debitis* (quod ſine confeſſione fieri nequit) *& peccatis monuit.* Hæc præcipua confeſſio peccati eſt à DEO mandata, & omnibus ac ſingulis pœnitentibus ſimpliciter, ex ordine divino neceſſaria, cum qua affinitatem habet *confeſſio fraterna, quæ,* ut loquitur Chemnit. Exam. Conc. Trid. part. 2. cap. 5. p. 385. *proximo fit, quando ſcil. is, qui offendit proximum, pœnitentia ductus, fatetur ſe peccaſſe, & petit ſibi ignoſci.* Nam & hæc mandato divino nititur, Matth. 5, 24. *Vade reconliliare fratri tuo, qui habet aliquid adverſum te.* Iacob. 5. v. 16. *Confitemini invicem delicta veſtra* &c. Hac ſine nulla vera poteſt eſſe pœnitentia. *Fingitur enim non agitur pœnitentia* (ſic iterum Chemnit. harm. Evang. c. 51. pag. 349.) *niſi rupta concordia reſarciatur,* ab eo, qui rupit, *violatio charitatis intercludit aditum ad DEUM.* Bernhardus de ſeipſo, *tractat. de præcept. & diſpenſat*: circa finem p. 272. colum. 3. *Non recipitur munus quodcunque meum, quod defero ad altare, niſi ante placato fratre, quem me forte læſiſſe meminero.*

Cum quo affinitatem habet confeſſio ad proximum offenſum.

Cauſa Efficiens principalis cōfeſſionis

§. 31. *Cauſæ* confeſſionis à DEO mandatæ & ſerio pœnitentibus neceſſariæ *fere eædem ſunt quæ & contritionis.* Quia enim confeſſio *ſuo modo* quædam contritionis pars eſt, ideoq; unde hæc naſcitur,

scitur, inde illam quoque ortum habere necesse est. Est Deus tri-unus principaliter, qui operatur contritionem, Ezech. 6,9. ubi *ego*, ait, *contrivi cor eorum fornicans & recedens à me, & oculos eorum fornicantes & recedentes post idola sua & displicebunt sibimet super malis, quæ fecerunt in universis abominationibus suis*, confer disput. de pœnit. in genere, §. 32. & alteram de contrit. §. 27. Habent id homines peccatores ferè sine exceptione omnes ex originali peccato, ut, tametsi per ipsum conscientiæ testem commissorum peccatorum convincantur, eadem tamen vel prorsus negent, vel in alios transferant, vel extenuent, vel quocunque modo tegant atque occultent, unde, ut liberè sincereque confiteantur, aliunde illis scil. ex divina operatione obtingit, quæ, sicuti primum *cor compungit*, Actor. 2,37. *percutit*, 2. Sam. 24,10. *conturbat animam*. Ps. 6, 3. *infigit sagittas*, Psal. 38, 3. ita longius progreditur, ac *ad humilem etiam & ingenuam confessionem* impellit: quæ omnia in Davidis pœnitentis exemplo præced. §. adducto, veluti quodam speculo contemplanda exhibentur. Ex corruptæ naturæ vitio constitutum secum habet *tacere*, Psalm. 32,3. & occultare peccatum, at divina gratia, hoc in ipso vitium corrigit, &, ut ingenuam confessionem edat, operatur, ex illa enim prodeunt verba, v. 5. *Cognitum tibi feci delictum meum, & iniustitiam meam non abscondi &c.* est DEVS triunus.

§. 32. Utitur autem Deus in operanda confessione *verbo legis tanquam efficaci organo*. Nam, uti per eam hominem ad *agnitionem peccati* deducit, Rom. 3, 20. *iram* suam ob oculos ponit, cap. 4, 15. *perterrefacit*, Psal. 6, 3. sic etiam ut se peccasse, vel occultè intra se acerbis suspiriis, vel apertè, ore & verbis confiteatur, per eandem efficit. *Ex legali concione* Samuelis, 1. Sam. 15, 19. & seqq. adigitur Saul ut dicat: *peccavi quia prævaricatus sum sermonem Domini*: *ex legali concione* Nathanis David percellitur, ut similiter *peccavi*, inquiat, Domino 2. Sam. 12, 13. & post institutam populi numerationem, *peccavi valde, stulte egi nimis*, 2. Sam. 24, 10. Probe tamen hic distinguendum videtur, *inter confessionem cum desperatione coniunctam, & eam quam melior veniæ spes suffulcit, præcedit ac comitatur. Illam* ex lege & sola quidem esse manifestum est. Hac enim solâ perterritus *Cain fratricida* exclamat in conspectu Domini: *maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, Genes. 4, 13. hac sola perterritus *Iudas peccavi*, inquit, *tradens sanguinem* Organica verbum legis. Vbi tamen notanda distinctio inter confessionem

desperabundam & bene sperantem.

guinem justum, Matth.27,4. *At hæc*, quæ ex spe consequendæ gratiæ proficiscitur, simul etiam Evangelium complectitur, cum lex peccati remissionem aut veniæ impetrationem prorsus ignoret. Et tales à mundi origine fuerunt omnes omnium serio & salutariter pœnitentium, confessiones. Talis inprimis Davidis, qui dum Ps.32,4.ait: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti mihi impietatem peccati mei*, verbis ipsis ostendit, se tacitè secum ex promissionibus divinis & piorum exemplis expendisse, quod humiliter confitentes remissionem peccatorum suorum omni tempore consecuti sint, atq; inde indubitatam animo concepisse spem, fore ut ipse etiam, si confessionem apertè edat, eandem obtineat: mox firmiter decrevisse ac proposuisse (hæc enim vis est vocis *dixi*, Psalm.39,2.& 119.57.) non tacere diutius, sed peccata omnia, quibus angatur, ex corde promere, & in sinum DEI effundere, ut gratiæ particeps reddatur. Huc pertinet parabola, Luc. 15. de Acolasto, qui omnino ex magna spe impetrandæ gratiæ paternæ secum meditatur, quibus verbis gravissima peccata offenso Patri confiteri velit. *Surgam*, inquit, v.18. *& ibo ad Patrem meum, & dicam ei: pater peccavi in cœlum, & coram te* &c: ex illa ipsa spe *surgit*, *& ad patrem venit*, promit meditatam confessionem, speratam misericordiam consequitur, vers. 20. & seqq. confer Ambros.lib.7. in cap. 15. Luc. tom. 5. p. 124. ubi peccatores & confiteri, & in ipsa confessione optima quæq; à DEO expectare jubet: *ore*, inquit, *fit confeßio ad salutem: confitere igitur, ut interveniat pro te Christus, quem advocatum habemus apud Patrem, nec vereare ne non impetres. Advocatus spondet veniam, patronus promittit gratiam, reconciliationem tibi paternæ pietatis pollicetur assertor &c.*

Materia καθ' ἀναλογίαν ex qua. Diversi actus interni & externi.

§. 33. *Materia ex qua* confessionis cum sit in accidentium genere proprie nulla est: καθ' ἀναλογίαν forte *materiæ* dici possent, quemadmodum & cõtritionis (confer præc. disp. § 29.) *diversi eius actus*, tum interni, tum externi, ratione diversorum obiectorum, id est, peccatorum, tum originalis, tum actualium, quando homo in veræ pœnitentiæ exercitiis, *primum* se ex im̃undo semine in utero materno conceptũ, & ex ipso ortu originali vitio miserrime corruptum esse fatetur, *post*, ad peccata actualia, quæ à prima infantia & pueritia com̃isit progreditur, eorundemq; confessionẽm subiungit;

git: quem actuum ordinem à Davide diligenter observatum fuisse, vel ex uno Psal. 51. satis constat: in quo v. 7. ad Jehovam, *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: ubi vim magnam habet particula הִנֵּה *Ecce*, ex qua patet, Davidem post accuratissimam originalis & connatæ miseriæ suæ explorationem, eandem ingenua & sincera confessione quodammodo oculis DEI exposuisse, & manifestasse. Sensus enim verborum est: O Juste & misericors DEUS, contrito pectore agnosco extremam totius naturæ meæ ex ipsa conceptione corruptionem, agnosco mentis cœcitatem & tenebras, voluntatis à TE & lege tua aversionem, imo inimicitiam contra eam, virium & facultatum animæ omnium horrendam *ἀταξίαν*, quin etiam externa corporis membra originalis peccati quodam quasi veneno infecta esse agnosco: nec agnosco tantum, sed & tibi, quia id à me postulas, humilime confiteor & nota facio. Ab hoc confessionis actu perrexit ad alios, confessus est peccata gravia & atrocia, adulterium & homicidium, peccata infirmitatis & quotidianos lapsus, quod ex Psalm. 51. cit. & aliis pœnitentialibus liquet: quin etiam *peccata ignorantiæ* est confessus, Psalm. 19, 13. *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me*, non quod ipsa ignorantiæ peccata aperuerit: ignoti enim & simpliciter occulti, nulla potest esse confessio, sed quod se ignorantem multum & crebro peccare, uti sciverit, sic quoque sit confessus. Atq; hoc diversorum actuum ordine, quivis fidelis serio pœnitens suam coram DEO edit confessionem, qui eiusdem *materia ex qua* ratione aliqua dici possunt.

§. 34. Forma in ipsa peccatorum agnitorum *apertione*, *prolatione*, *detectione*, consistit; quæ, si confessionem, quæ DEO soli fit spectemus *duplex*, est, sc. *Interior*, præcipua, & à DEO maxime requisita, quando homo peccator, posteaquam secretò atque intra animum vitam & actiones suas, ad normam divinæ legis examinavit, ac, quod innumeris vicibus & modis eandem sit transgressus, deprehendit, illico tacitis cordis gemitibus & cogitationibus id DEO aperit & confitetur. *Præcipuam hanc dicimus apertionem*, & cumprimis à DEO requisitam, qui, quemadmodum in genere omnem cultum sibi debitum, in corde vult nasci, radices habere & ex eius sinceritate proficisci: *cor enim intuetur*, 1. Sam. 16, 7. *corda probat, & eorum simplicitatem diligit*, 1. Paralip. 29, 17. *in toto*

Forma Ipsa Peccatorum detectio. Interior.

corde vult invocari, Psal. 119, 145. *ex toto corde diligi*, Deut. 6, 5. quemadmodum in specie à pœnitente *conversionem in toto corde, lacerationem* (contritionem) *non vestimentorum, sed cordium postulat*, Joel. 2, 13. sic quoque *confessionem cordis* præcipue exigit, ut homo peccator, prius quam externam edat vocem, interiori *animi meditatione*, Psalm. 19, 15. peccata sua detegat. Neque tamen *altera exterior* intermittenda est coram DEO peccatorum *manifestatio*. Fit sanè, ut ad solam cordis confessionem priusquam linguâ homo quicquam proferat, fructus remissionis peccatorum sequatur: quo de August. in Psalm. 32, v. 5. *Dixi pronunciabo* &c. *Non jam pronunciat David, sed promittit se pronunciaturum, & DEUS jam dimittit: attendite fratres, magna res, non dixit pronunciavi, sed pronunciabo, & tu dimisisti: eo ipso quod dixit pronunciabo, ostendit, quia nondum pronunciaverat (ore) sed corde pronunciaverat, hoc ipsum dicere pronunciabo pronunciare est, ideo & tu remisisti impietatem cordis mei, confessio vero mea ad os nondum venerat, dixeram enim pronunciabo adversum me, veruntamen DEUS audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris DEI jam in corde erat.* At nihilominus ea quoque confessio, quam ex sincero corde humilis lingua & sermo proferunt DEO grata est. Placent Domino secreti fidelium *gemitus* intra pectora clausi, Psalm. 38, 10. *audit eos*, Psal. 102, 22. placent tamen etiam *eloquia & verba oris*, Psalm. 19, 15. quæ & clementer *percipit*, Psalm. 54, 4. dulcis *cantus cordis*, Coloss. 3, 16. jucunda tamen etiam est Domini *laus in ore*, Psalm. 34, 2. unde animam cum labiis coniungit David, Psal. 71, 23. *Cantabunt labia mea & anima mea, quam redemisti.* Eodem modo sinceri cordis interna confessio est accepta coram DEO, simul tamen etiam externa oris, & quæ *labiis non dolosis* profertur, Psalm. 17, 1. id quod *confessionum formulæ*, quarum plurimę in sacris literis reperiuntur, abunde satis confirmant.

Exterior. (margin)

Finis & Effectus. (margin)

§. 35. *Finis & effectus confessionis* ferè iidem sunt, & qui contritionis. *Ex parte DEI est ipsius gloria.* Qui enim ex recto & sincero corde peccata sua confitetur, eo ipso *certa ratione DEI omniscientiam, veritatem, justitiam & misericordiam deprædicat.* Quo pertinent suspiria, Luth. in Psalm. 51. v. 6. tom. 4. lat. p. 358. fac. a. *O Domine sum ego lutum tuum, tu autem formator & figulus meus. Quia igitur pronuncias me peccatorem esse, assentior verbo tuo & libens agno-*

Ex parte DEI eiusdem glorificatio. (margin)

agnosco, & confiteor hanc impietatem latentem in carne mea, & tota natura, ut tu glorificeris, ego autem confundar, ut tu sis justus & vita, ego autem cum omnibus aliis hominibus peccatum & mors, ut tu sis summum bonum, ego autem cum omnibus hominibus extremum malum, hoc agnosco & confiteor, ut tua gloria crescat. August. in enarrat. Psalm. 94. *Maxime pertinet ad laudem* DEI *quando confiteris peccata tua, quia tanto plus laudatur medicus, quanto plus desperabatur ægrotus: confitere itaq; peccata tua, quo magis desperabas de te propter iniquitates tuas: tanto enim maior est laus ignoscentis, quanto maior est exaggeratio peccata confitentis: & hoc ad laudem cantici pertinet, quia cum peccata nostra agnoscimus,* DEI *gloriam commendamus.* Idem in sermon. 8. de verbis Dom. secundum Matth. tom. 10. p. 29. *si pie nos accusamus,* DEUM *laudamus: in confeßione sui accusatio est* DEI *laudatio.*

§. 36. *Ex parte hominis peccatoris*, præter alios, quos cum contritione communes habet, *est pudor & confusio faciei.* Quia enim cor humanum naturâ durissimum gratiæ & misericordiæ capax esse non potest, nisi probe conteratur, ideoque Deus variis rationibus eius contritionem, quantum in se, operatur: quas inter etiam est *pudor & confusio faciei.* Hanc ab omnibus, qui peccarunt serio exigit, ac graviter irascitur iis, quibus frons est quodam quasi impudentiæ callo obducta, *os ferreum*, quales olim Prophetarum temporibus fuerunt Judæi, ad quos & de quibus Jehova, cap. 3, 3. *frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*, cap. 16, 15. *confusione non sunt confusi, & erubescere nesciverunt*, Zephan. 3, 5. *quovis mane Dominus judicium suum dat in lucem, nescivit autem iniquus confusionem.* Die bösen Leut wollen sich nicht schämen lernen/ uti B. Lutherus reddidit; Quam impudentiam, ut animis expellat Deus, ad confessionem legis suæ transgressores adigit, ut, dum juxta seriem præceptorum vitam suam examinant, peccata tum numero plurima, tum gravitate atrocia agnoscunt, eademque palam fateri coguntur, pudefiant, rubore suffunduntur, adeoque magis magisque humilientur, ad justi judicis tribunal prostrati, iram, pœnas, æterna supplicia se promeritos esse fateantur, & sic idonea fiant vasa, quibus misericordiæ divinæ oleum infundatur. Hoc pacto ad pudorem & faciei confusionem Deo gratam perductus est Esra, qui, dum cap. 9, 6. seqq. Deo gravissima peccata

Ex parte hominis pudor & confusio faciei.

longo tempore cumulata ordine recenset, *DEUS*, inquit, *meus confundor & erubesco elevare faciem meam ad te* &c. Confer ardentissimas Prophetæ Danielis preces & suspiria, cap. 9. à v. 4. usq; ad 20. ubi post humilimam peccatorum totius populi Judaici, & in eo quoq; Regum, Principum, enumerationem, ad DEUM conversus, v. 7. *Tibi,* inquit, *Domine justitia, nobis autem confusio faciei,* adde ex parabola, Luc. 18, 13. *exemplum publicani à longe stantis, & non audentis oculos suos ad cælum levare.* De hac confusione ex confessione orta Augustinus epistola 48. ad Vincentium sub fin. tom. 2. p. 192. *Ista confusio adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur,* & ad v. 1. Psal. 30. tom. 8. p. 162. *Est confusio utilis perturbatio animi respicientis peccata sua, respectione perhorrescentis, horrore erubescentis, erubescentiâ corrigentis,* & in Psalm. 86. ad v. ult. *Qui noluit hoc modo confundi, salubriter, confundetur in judicio perniciosè: præbet DEUS modo aditum salubris confusionis, si non contemnas medicinam confessionis.*

§. 37. Præcipui hi fines & effectus sunt confessionis. Reliquos, qui ex sacrarum literarum partim sententiis partim exemplis adferri poterant, præterimus, maxime cum in superioribus dispp. de pœnit. in genere & de contrit. plerorumque eorum facta mentio. Nec huius loci est, Scholasticorum de hoc argumento in medium producere & sub examen vocare varia & audacia postulata, *de effectu confessionis sacramentalis*: qualia sunt, *confessio animam à morte peccati liberat, confessio liberat etiam à pœna æterna, quin & temporalem pœnam, cum verecundiam annexam habeat, secundum maiorem vel minorem confitentis dispositionem, ratione illius erubescentiæ, quam annexam habet, diminuit; confessio, cum à culpa & pœnæ reatu hominem liberet, paradisi etiam januam apperit & spem tribuit salutis, per confessionem generalem delentur peccata mortalia oblita* (memoria elapsa) &c. Sic confidenter de effectu confessionis scribunt & disputant Pontificii: (vide Thom. supplem. part. 3. q. 10. & commentatores) quæ quo sint loco habenda, uti facile quivis, qui saltem fidei analogiam recte tenet, intelligit, confer supra §. 26, ita alibi ostendendi occasio erit.

Obiectum Peccatum.

§. 38. *Obiectum* uno verbo est in genere *peccatum.* Quemadmodum enim ex consideratione multitudinis & gravitatis peccatorum homo vere pœnitens conteritur, angitur, dolet, sic eadem

dem sine mora confitetur, tum intra se mentemque suam, tum plerumque lingua etiam & sermone. *In specie* seria confessio obiectum habet primo omnium, *originale peccatum*, adeo ut quemadmodum hoc omnium peccatorum actualium radix est, sic quivis pie pœnitentes id ipsum vel primum animis volvant, agnoscant & confiteantur, vel, si maxime actualia nonnulla præmittant, ad ipsum tamen non multo post cogitatione descendant, seque eiusdem vitio misere corruptos & inquinatos esse, lamentabili voce conquerantur. Exemplo David est, qui Psalm. 51, 5. confessionem quidem suam orditur à peccatis actualibus, quæ commiserat, eademque in conspectu suo noctu interdiuque versari ait: sed mox v. 7. *in peccatis sese conceptum à matre sua*, adeoque originalem miseriam dolenter deplorat. Habet *deinde* etiam obiectum *peccata actualia*, mente, cogitatione, affectibus, desideriis, concupiscentiis, gestibus, verbis, operibus, sive commissione, sive omissione perpetrata. Sicuti enim homo, cui seria pœnitentiæ exercitia cordi sunt, statis temporibus, liberè sumtis, non tantum quæ nudius tertius aut quartus, quæ heri hodieque ἀνόμως, & contra legem divinam in se admisit, in mentem revocat, sed, memoria in ipsam infantiam, ex hac in pueritiam, inde in juveniles annos, ac sequentem ætatem redit, omniumque quæ unquam stultè, malè, iniquè, contra mandata divina, contra Parentum, Præceptorum, Ecclesiæ pastorum, salutaria monita gessit, quantum fieri potest, cum dolore recordatur (aliter enim qui facit, & huius ordinis securus contemtor est, inter verè pœnitentes non habetur) ita etiam cuncta humiliter confitetur, ut consequatur remissionem. Atque in hac, quæ coram DEO fit peccatorum confessione, locum fortè aliquo modo habere potest, quod aliâs in confessione auriculari Pontificii exigunt, ut *homo accuratissimum conscientiæ instituat examen, in omnem ab ipsa conceptione vitam, eiusdemq, instituta & actiones diligentissime secum inquirat, &, hoc facto, cor suum totum coram DEO effundat*, id est, omnia, præcipue graviora, quorum meminit, peccata humilime confiteatur: quo non incommode applicantur verba lament. Jer. cap. 2, 18. & 19. *deduc quasi torrentem lachrymas, effunde sicut aquam ante conspectum Domini cor tuum*: cuius examinis & recordationis vestigia haud obscura piorum exempla monstrant. Ipse Jobus inter varias affli-

Originale.

Actualia.

ctiones

ctiones suas meminit *peccatorum adolescentiæ suæ*, cap. 13, 26. &, ne propter eas ab ira divina *consumatur*, metuit. Davidica confessio nota est, suspiriis, Psalm. 25, 7. comprehensa: *delicta juventutis meæ & ignorantias ne memineris* &c. ubi, *non de se ipso Davidem loqui, sed aliorum inducere personas, qui priora delicta sua confiteri didicerunt*, à scopo precantis totoque contextu alienum est. Versatur, dum psalmum profert & preces fundit, David in gravi periculo, ab hostibus undique cingitur, divinam itaque opem implorat, & ne propter peccata sua in manus inimicorum ad sui confusionem tradatur, orat: ubi fatetur se peccatis suis non illis tantum quæ nuper patrarit, sed etiam, quæ in juventute commiserit, iram &, pœnas meruisse, sperare autem, se, cum delicta sua agnoscat, gratiam, misericordiam & ab hostibus liberationem impetraturum: confer confessionem Esræ cap. 9, 6. & seqq. Daniel. cap. 9, 4. & seqq. Aposti Pauli, 1. Timoth. 1, 13. Et ex ordine Patrum Augustini libros confessionum, inprimis lib. 1. cap. 7. & seqq. & lib. 2. cap. 1. & seqq.

Subiectū Homo peccator qualis omnis est.

§. 39. *Subiectum homo peccator* est, quem jam commissi peccati pœnitet. Is enim, quemadmodum ex legis divinæ contemplatione peccata sua eorumque multitudinem & gravitatem *mente* agnoscit & *voluntate* ad eadem exhorrescit, ea detestatur & odit, inde ingenti dolore & tristitia afficitur: sic libere in conspectu DEI & coram eius tribunali, omnia, tum intra pectus suum multis suspiriis, tum lingua & verbis externis confitetur. Atque hic nemo exemtus est: *Omnes enim sunt sub peccato*, Rom. 3, 9. *non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum*, v. 12. *omnes peccaverunt & indigent gloria* DEI, v. 23. omnes peccato originali inquinati sunt, *ex immundo semine concepti*, Job. 14, 4. Psalm. 51, 7. *sunt caro de carne*, Joh. 3, 3. neque ullus eorum est, qui ab omni peccato actuali liber sit, cum secretior corruptionis radix nunquam ab opere quiescat, nunquam plane torpida sit, sed fructus sibi similes semper proferre saltem nitatur, unde omnibus necessaria, ut pœnitentia suis partibus integra, sic quoque confessio ad priorem partem pertinens. *Omnes etiam sancti orant pro peccatorum remißione*, Psalm. 32, 6. & dum orant, se peccatores esse fatentur. Johannes Apostolus 1. epist. cap. 1, 8. de se atque aliis omnibus, *si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veri-*

Nemine excepto.

& veritas in nobis non est: si confiteamur peccata nostra ipse fidelis est &c. in qua verbæ Augustinus: *Quisquis*, ait, *fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore* DEO *& hominum, quibus non necessaria fuerit* (confessio) *& remissio peccatorum contrarius est divinæ scripturæ.* Et paulo post: *Quisquis dicit post acceptam remissionem peccatorum, ita quenquam hominum juste vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum omnino habeat peccatum contradicit Apostolo Iohanni.* Non admittendus hoc loco obscurus autor orationis, quæ Manassi Regi Judæorum adscribitur (quam nec hebræus nec græcus codex habet, nec in latinum, quo pacto venerit, constat, merito ipsis quoque Pontificiis ἀπόκρυφος) cum inquit, *justis Abrahamo, Isaaco, Iacobo non esse positam pœnitentiam*, adeoq; neq; confessionem, nisi comparate locutus esse intelligatur. Fide in Christum omnes fuerunt præditi, fide in eundem justificati; unde necessaria in ipsis fuit præcedens peccatorum agnitio & confessio, cum gratuita justificatio solis iis obtingat, qui ob iniustitiam & iniquitatem suam dolentes, de semetipsis desperant, & in solo Christo justitiam, qua coram DEO consistant, fide quærunt & amplectuntur. Quæ de immaculata B. Mariæ virginis conceptione, de aliorum nonnullorum in ipso utero materno à peccato originali purgatione, per quam nullis peccatis actualibus obnoxii fuerint, Pontificii sine scripturarum fundamento tradunt, adeoque quibusdam hominibus peccatorum confessionem non necessariam fuisse, docent, alibi sub examen vocata & confutata sunt, quæ hic repetere supersedemus: confer disput. de peccat. original. §.31. & de peccat. actual. §.31.

§. 40. *Adiuncta confessionis*, quæ sint, ex dictis & exemplis hactenus allatis liquet. *Pontificii sedecim qualitates* confessionis suæ sacramentalis numerant, quas tamen *ad tria capita* nonnulli eorum revocant, quorum *primum*, aiunt, *esse ut confessio sit integra, secundum ut sit dolens, seu lachrymabilis, tertium ut sit vera & pura.* Vide Martin. Bonacin. Tom. 1. de pœnit. sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. p. 112. Quæ sigillatim examinare nostrum nunc non est, cum de ea tantum confessione, quæ coram DEO instituitur, tractare decreverimus. In piorum confitentium exempla si intueamur, eorumque gestus & verba consideremus, elucet inde præcipue *magna animi demissio*, ex qua sese ad judicis DEI tribunal humilime Adiuncta. Animi demissio.

milime abiecerunt, sederunt in pulvere, nullo se beneficio divino amplius dignos judicarunt, confer 2.Sam.12,16. 2.Chron.32,26. & cap.33,12. Luc.7,37.& seqq. ut & parabolas de Acolasto, Luc.15,18. & 19. & de publicano, cap.18,13. Est hæc humiliatio omnino à seria confessione inseparabilis. Fieri enim nequit, quin, qui *ex contrito corde & spiritu contribulato*, peccata agnita promit & fatetur, se hominem omnium abiectissimum vilissimumque æstimet. Elucet etiam *sinceritas & simplicitas*, ex qua sine vel excusatione, vel extenuatione, vel translatione in alios, peccata ex corde sine hypocrysi sunt confessi. Ingenua sunt Davidis verba, 2.Sam.12,13. *peccavi Domino*: post patrata adulterii & homicidii scelera, magis ingenua post numerationem populi, cap.21,8. *Peccavi nimis, insipienter egi. A Satana, qui contra Israelem consurrexerat, concitatus fuerat David*, cap. cit.1. *adnumerationem*, nec tamen ipsum, sed se solum accusat peccatique reum arguit, novit quippe se Satanicas tentationes, si arma ritè adhibuisset, facile vincere potuisse. Quam ingenuam Davidis cum Saulis confessione conferens Bernhardus, quærit, *cur, cum ambo Reges, ambo peccatores, ambo confitentes, ambo eandem vocem ediderint: peccavi Domino, alteri tamen per Nathanem dictum sit: Dominus transtulit à te peccatum tuum, non morieris, alteri vero per Samuelem: Dominus transtulit regnum tuum*, &c. subiicit ideo hoc factum esse, *quod Saul hoc non senserit in corde, quod gesserit in ore, peccavi*. Similis simplicitas & ingenuitas in confessione aliorum vere pœnitentiam utroque testamento conspicitur qui non dubitarunt commissa aperte in conspectu DEI proferre, quippe non nescii, si ea occultarent, fore, ut, quod Davidi aliquando accidit, acerbissimis conscientiæ morsibus cruciarentur, ac nuspiam requiem invenirent, Psalm. 32, 3. & 4. *Cur te pudeat, peccatum tuum dicere, cum non puduerit facere: cur erubescas DEO confiteri, cuius oculis non potes abscondi?* inquit Bernhardus in sent.

Simplicitas.

§. 41. *Locus & tempus confessionis* eadem sunt, quæ ipsius pœnitentiæ & contritionis, ratio siquidem hic eadem est totius & partium, unde, quæ disp. de pœnit. in genere, §.43. & disput. de contrit. §.39. allata sunt, huc quoque applicanda. *Quemadmodum omnis locus* precibus fundendis, si necessitas exigat, idoneus est, 1.Timoth.2,8. sic & confessioni peccatorum. Placet DEO preca-

Locus & tempus.

tio,

tio, ubi tandem cumque locorum instituatur. Egregie autor homiliarum ad popul. Antioch. apud Chrysost. homil. 7, 9. qua *quæ in oratione attendenda* exponit, tom. 5. p. 470. *In precibus non est quærendus locus, sed loci principium, qui ubivis prope est & ait: ecce adsum, ergo ubicunque sis, pectoris altare tuum constituere, nihil locus prohibet: Iob in stercore, David in lacu ferisq;, Hieremias in cœno, Ionas in ipso ceti ventre, latro in cruce distentus DEVM deprecati sunt: ergo ubicunque sis, ora, templum es, ne locum quæras &c. Ita etiam confeßio* peccatorum, quæ precum species est, nullum excludit locum, quanquam ædes & templa publica cultui divino consecrata, privatis locis certa ratione præferenda. Idem etiam de tempore statuendum: *Tota hominis Christiani vita perpetua est pœnitentia*, ut eandem semper vel actu exerceat, vel ad eam exercendam sit paratus: Ideoque etiam confessio peccati eâdem ratione est perpetua: quo momento labimur decet, ut lapsum agnoscamus, confiteamur, gratiam divinam & remissionem petamus.

§. 42. *Cognata*, ferè cum ipsa pœnitentia, ut & contritione confessio habet communia, vide disp. de pœnit. §. 29. de contrit. §. 40. *Magis tamen affinis est illa confeßio*, qua, qui proximum gravius offendit, peccatum suum agnoscens, eundem placide compellat, sibique ignosci petit, de qua supra §. 20. *in qua confeßione requiritur* ab eo, qui offendit, ut ultro agnoscat delictum, ut de eo serio doleat, ut humiliter deprecetur, & damni sive vitæ, sive famæ, sive facultatibus illati mature sarciendi rationem dilgentissime ineat, adeoque *ablatum quantum in se restituat*, quæ omnia Christus Salvator, apud Matthæum Evangelist. cap. 18, 29. descriptione gestus & verborum servi in genua coram creditore procidentis, orantis, deprecantis, exprimere voluit, & compendiosius apud Evangelist Lucam, cap. 17, 3. *Si peccaverit in TE frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Pœnitentiam* à peccante & offendente exigit Christus, adeoque omnino offensæ veram agnitionem, de eadem serium dolorem & humilem deprecationem, ad quæ non potest non sequi emendandi resarciendique studium. Horum si aliquid desit confessio non sincera sed hypocritica est, qualis fuit Saulis, hominis, sua culpa & justo DEI judicio, per Satanam indurati, qui quidem confessus est *se* Davidem hostiliter persequendo *peccasse*, agnovit *Davidem se justiorem*

Cognata.

Confessio ad proximum læsum.

rem, promiſit emendationem, ſed non præſtitit, de quo D. Oſiand. *Sicut*, inquit, *furioſi homines, quandoque dilucida intervalla habent ut ad ſpacium horæ aut amplius etiam nihil inepte dicant aut faciant, paulo autem poſt ad inſaniam redeant. Sic impii quandoque ad breve tempus præ ſe ferunt converſionem & pœnitentiam, ſed mox ad vomitum redeunt.* Et tales etiam non ſunt capaces fructuum confeſſionis. Quia enim ea ſincera non eſt, non recte radicata, hinc nec fructum ferre confitenti poteſt, qui aliàs inter alios etiam eſt, *actualis condonatio & remiſſio.* Expreſſe enim Chriſtus Salvator ordinem hunc conſtituit, ut *non niſi pœnitenti offenſa ipſo opere dimittatur*: quo etiam ſpectant verba eius ſequentia, v.4. *Si ſepties in die peccaverit in te* (frater tuus) *& ſepties in die converſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Paratus quidem omni momento, toto animo, quivis offenſus eſſe debet, offenſam, quanta etiam illa & quam gravis videatur, offendenti remittere & condonare. Sed ut opere ipſo homini malioſe & pertinaciter offenſas ſine intermiſſione continuanti augentique remittat, obſtrictus non eſt, imo ad contrarium expreſſis Chriſti verbis obſtrictus, qui vult ut offenſus *peccantem* & in peccatis perſeverantem tamdiu *obiurget*, quamdiu peccare pergit, nec prius dimittat offenſam, quam eius pœnitentiæ ſigna deprehendat. Clariſſima ſunt verba: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum*, id eſt, quamdiu ille te offendere pergit, tamdiu tu perge increpare, nec deſine prius, quam ille offendere deſinat & pœnitentiam agat. Graviſſime B. Lutherus noſter in explicat. ſexti cap. Matth. ad v.14. tom. 5. Jen. pag. 405. & tom. 4. Witteberg. germ. p. 57. So ihr den Menſchen ihre Feile vergebet ꝛc. Mir vnd dir gebühret nicht (im gemeinem privat-Leben) die Sünd zu ſtraffen/ ſondern zu vergeben/ daß du alſo gedenckeſt/ ob gleich dein Nächſter aus Boßheit wider dich gethan hat/ ſo iſt er dannoch verirret/ gefangen vnd verblendet vom Teufel/ darumb ſoltu ſo fromm ſeyn/ vnd dich ſein vielmehr erbarmen/ als der vom Teufel überweltiget iſt/ daß es wol des Teufels halben/ der ihm ſolches eingibt/ ein groſſe vnvergebliche Sünde iſt/ aber des Menſchen halben ein Fehl oder Gebrechen heiſſe: doch muſtu ſolche Fehl und Gebrechen alſo deuten/ daß es der Nächſte/ ſo wider dich geſündiget/ erkenne vnd Vergebung begehre/ vnd ſich beſſern wölle: den Sünde die man verthedigt/ ſoll man nicht vergeben/ ſondern binden in Abgrund der Höllen.

Höllen. Und wie es nun zugehet im Ampt der Schlüssel / so gehet es auch mit einem ieglichen Christen gegen dem Nächsten/welcher/ob er wol soll bereit seyn iederman zu vergeben / der ihm Leid thut / doch wo er die Sünd nicht will erkennen noch ablassen/ sondern darzu noch fortfahren / so kanstu ihm nicht vergeben / nicht deiner/ sondern sein selbst halben/ weil er die Vergebung nicht haben will. So bald er sich aber schuldig gibt und Vergebung begehrt / so soll es alles geschenckt seyn. Summa/wo er sich nicht erkennen will/ soll man sein Gewissen auffs höchst beschweren / und keine Gnade erzeigen / als der da will Muhtwillens des Teufels eigen seyn/ &c. confer Christiani Avian. prax. Eccles. circa confess. &c. part. 1. q. 3. p. 16. & seqq. Pugnantia.

§. 43. Sanam de confessione peccatorum coram Deo doctrinam olim certo modo *oppugnarunt Veteres Hæretici*, quotquot vel Ecclesiam militantem in his terris per omnia sanctam, puram, angelicam, esse posse, vel graviter lapsos remissionem peccatorum consequi non posse, docuerunt; quales fuerunt *Novatiani*, *Cathari*, *Donatistæ*. *Oppugnant* hodie *Anabaptistæ*, quorum dogma est, *renatos non egere pœnitentia, quia puri & sancti sint*, confer Wigand. Anabapt. p. 11. *Oppugnant Pontificii*, qui quidem de sua sacramentali confessione, quam definiunt *secretam delinquentis accusationem suorum commissorum peccatorum, coram Sacerdote jurisdictionem in eum habente, spe consequendæ veniæ*, innumeras ferè movent tractantque quæstiones, quin integra volumina scribunt, at eam, peccatorum confessionem, quæ coram Deo fit, quæ omnibus omni tempore ab ipso Ecclesiæ militantis exordio est necessaria, qua sine stare pœnitentia nequit, nec sperari gratia divina, & remissio peccatorum, vel omnino prætereunt, vel paucissimis attingunt: id quod cuivis in rem præsentem venienti, eorumque de hoc argumento disputationes lustranti, obvium. *Oppugnant Calviniani*, quotquot pertinaciter inhærent dogmati, de absoluto electionis & reprobationis decreto. Hoc enim, quemadmodum omnes fere Christianæ religionis articulos periculosissimè inficit, ita etiam doctrinam de confessione corrumpit; quia enim, quantum in se, universalitatem divinæ gratiæ, meriti Christi & promissionum Evangelicarum destruit, & ad pauciores ex humano genere eorum efficaciam restringit, reliquis pluribus spem consequendæ remissionis peccatorum adimit, adeoque ir-

ritam inanemque facit confeſſionem: ſublato enim confeſſionis fine, ipſa quoque confeſſio tollitur. *Oppugnant* etiam ſuo modo *ſecuræ mentes*, quæ gravitatem negotii confeſſionis non ſatis digne ponderant: quæ non expendunt judicis coram quo confeſſionem edunt ſeveritatem, non expendunt peccatorum tum originalis, tum actualium atrocitatem & multitudinem, non expendunt ſuppliciorum & pœnarum, quas meruerunt gravitatem & acerbitatem: ſed vel ſtantes, vel ſedentes certas precularum formulas, ſine interiori motu & affectu recitant, & hoc pacto officio ſuo ſe præclare defunctos eſſe, hac in parte ſibi perſuadent. Quæ opinio quantas paſſim, & quam profundas egerit radices, ſatis experientia atque ipſa plerorumque confitentium teſtantur opera & mores, quorum nulla omnino emendatio & correctio in communi vita deprehenditur: quæ alias, ſi periculum & gravitas rei ritè ponderata fuiſſent, non potuiſſent non ultro ſequi. Eſt etiam vocabulum *confeſſionis*, uti alia fere omnia, in articulo de juſtificatione ex *formidabili foro humano deſumtum*, in quo conſpicitur *reus* qui graviter deliquit, erigitur *tribunal*, aſcendit *judex*, prodit *accuſator* qui ſimul reum ſceleris convincit, ut nolens volens *fateatur*, quid patrarit, unde *lex* producitur, fertur juxta eam *horrenda mortis ſententia* &c. Ad talia nos ſpectacula Spiritus Sanctus deducit, ut, quam ardua res ſit peccatoris coram DEO juſtificatio, & in illius proceſſu etiam confeſſio peccatorum aliquanto rectius intelligamus. Piè, ut omnia, D. Chemnit. part. 2. LL. CC. p. 251. *Homines profani, ſecuri, Epicuræi exiſtimant rem & actionem valde levem eſſe juſtificationem peccatoris, & ideo peccatum non valde curant, reconciliationem cum DEO non ſerio expetunt: has Epicureas cogitationes refutant judicialia verba, & oſtendunt non leve aut perfunctorium aliquid eſſe juſtificationem peccatorum, ſed totum hominem ſiſti judicio DEI & examinari, tum ſecundum naturam, tum ſecundum opera, idque juxta normam legis divinæ.* Conferantur ſequentia.

Definitio. §. 44. Quod ſupereſt, ex iis, quæ hactenus allata ſunt, talis oritur confeſſionis peccatorum coram DEO definitio. *Confeſſio peccatorum coram DEO eſt actio religioſa, qua homo pœnitens, vi legis divinæ contritus, & peccata ſua tum originale, tum actualia agnoſcens & deplorans, eadem vel ſolis mentis ſuſpiriis, vel ſimul etiam lingua & verbis*

verbis, coram tribunali DEI judicis animo demisso, humili, sincero, simplici profert, ut DEUS ejusq; justitia celebretur, homo vero peccator salubriter confusus, ad gratiam divinam confugiat eandemque consequatur.

Δόξα τῷ Θεῷ.

Præstantissimo Dn. Respondenti.

Cum pridem tuleris nomen titulumq; Magistri,
 Quem studium peperit sedulitasq; Tibi:
Ordine felici nunc ad sacra pulpita tendis:
 Adspiret cæptis summus Iova tuis!

Amoris ergo gratulabundus scrib.

Præses.

Præstantissimo Dn. Respondenti,
Amico dilecto.

DE Pœnitentia, sacræ quam literæ
plenè explicant, & anxii cordis quidem
Confeßione, dum eruditè dißputas:
Non pœnitendos Te progressus in tuis
Studiis probas fecisse. Quare gratulor,
Augmenta votis unà amicis comprecans.

f. grat.

Sebastianus Schmidt, S.Th.
D, PP, h. t. Fac. Th. Decanus.

Præstan-

Præstantiß. Dn. Respondenti.

PArturit eximios solers industria fructus,
quos tibi promittit benedictio larga Jehovæ:
spem gymnasma fecit, quod præbe s: rem quoq; habebis
HÖNIGI, quando perges instare labori.

aggratulatur

Ioh. Conrad. Dannhauer, D.

Ad Dn. Respondentem

Virum Iuvenem sinceræ pietatis ac Modestiæ, Variæq; eruditionis flore Præ-eximium, Affinem multis nominibus sibi dilectissimum.

MIscebat *tenero primum tua Musa labore,*
priscorum sophiæ quicquid & artis erat.
Proxima cura fuit Virtutis *scribere formam*
quæ tibi dux vitæ, lux & imago præit.
Verbis facta tuis sed non æquare dabatur,
& capiens summum vix medium omnis habet.
Hic perfectus erit, qui non valuisse fatetur
quadam! solerti pectore volvis idem.
Felici prudens perfectum fidere tentas,
sic bene! sic semper Numinis ordo tulit.

scripsit

Valentinus Sittig/ Gymnas.
Worm. Rector.

Pereximio Dn.o M. Resp. Amico honorando!

S. P.

MUnera cum numerum sua contraxisset in arctum,
Antea crebra nimis, præcipitata nimis,
Cæsar: *Mirmillo* quæritur *virtutis ademptam*
Spem sibi: proh Ætas quam mihi bella perit!
Incluta nam *Virtus, per desidis ocia vitæ*
Marcet, & est multo, quam fuit ante, minor.

Fallor

Fallor an est eadem Tibi mens, & pectoris ardor,
Hönigi, Cordis portio magna mei,
Spes Patriæ, Patrisque decus, Matrisque voluptas,
Quæ velut Hanna, Deo Te cupit esse Sacrum.
Hactenus & Linguas, & prisca reperta Sophorum
Theiologo, reserant quæ faciuntque, viam.
Sedulus ursisti curisque sagacibus: Urges
Nunc simili studio sollicitâque fide,
Theiologia sinu quicquid complectitur amplo,
Testes sunt *Templi, pulpita*, suntque *Schola*.
Sic operam, ne plus traheres *diludia* justo
Das, vigili versans Biblia Dia, manu.
Testatumque facis, quid in hâc profeceris arte,
Conscriptas doctè quando tuere theses.
Exere, ceu potes, in tanto certamine, vires,
Et *palmam palmis* hanc superadde tuis.
Indolis est speculum Sermo; ceu lamina formæ:
Istud & hâc ipsâ certius esse reor.
Sacrosancta Trias conatibus adsit ab alto!
In Domino vanus sic labor esse nequit.

f.

Gratulabundus

amoris μνημόσυνον

M. Elias Kolbius, Diaconus Neopetrinus.

Æquoreis quisquis diu tempestatibus actus
Marmoris undosi triste cucurrit iter;
Cum jam portum oculus tenet, & terram anchora mordet,
O! quoties lætus cantat & audit jo!
Ære tubæ rauco festum dat navita signum,
Conchaq;, si quæ sit, Martia nulla tacet.
O! vastum ad Pierin pelagus! tua cærula scindens:
Cogitur heu! dubius quanta pericla pati.

Si rea-

Sirenum hic scopulis, truculentaq; saxa Maleæ,
Scyllæiq; canes, & maris omne pecus:
Quantum, ô vidisse hæc, & non periisse saluti est!
Audisse has quantum, nec periisse juvat!
O te felicem, qui tot discrimina rerum
Evades mox, nec scis periisse tamen.
Iam periisse nequis, Sirenes atque charybdin
A tergo cernis monstraq; cuncta maris.
Euge, nihil superest, sine mordeat anchora terram,
Adspira, venies mox tibi pulcher honor.

Sic Præcellenti Dn. Resp. Commensali suo, in sincerioris amicitiæ tesseram gratulabundus applaudit

I. F. Marx, LL. Studios.

Ad Fratrem Respondentem.

DEcantare tuas longo mihi carmine laudes
Non opus, artificem sat bene laudat opus:
Dotibus eximiis ars te & natura bearunt,
Et studium dotes accumulare solet.

Balthasar Hœnig.

FINIS.